





2
6
354














2.6.354




BARTHOLOMÆI FRANCI,
Weidâ-Varisci,
DISSERTATIO
De
ARTICULIS FIDEI,
In qvâ
Eorum tùm Veritas tùm credendi necessitas
Succinctè & solidè evincuntur.





LIPSIÆ
Sumptibus Laurentii Sigismundi Cörneri, Bibliop.
Anno M DC LXVI.





Bonô Fortunante!

FIlium hominis cum venerit ad Judicium, vix fidem in terra reperturum, ipsemet satis apertè indicat emphaticâ illâ suâ, vim negandi habente interrogatione, qvam Lucas cōmemorat c. XVIII, 8. Quamvis verò non desint, qvi Salvatorem locô laudatô Fidem, qvam vocant homileticam, coagulum illud ac stabilimentum Societatis humanæ ac civilis, indigitare contendant; quô minus tamen verba ipsius ad Fidem, quâ propriè censemur Christiani, trahamus, nihil, me qvidem judice, prohibet. Nam profectò hæc ipsa fides est, quæ extremis hisce, in qvæ Deo nos reservare placuit, temporibus, indies magis ac magis deficit, & spatijs suis proh dolor! fit minor, jugiter impetita Satanæ, eò vehementius qvò minus ipsi superest temporis, furentis rabie & μεθοδεία, veniente adhuc in partes hominum malitiâ, securitate, socordia atq; ingratitudine erga nobile Verbi Divini depositum, qvæ vitia, si à nobis abessent, meliori profectò locô res essent nostræ non solùm Regionis, verum etiam imprimis *R*eligionis, quam ut ludum jocumq; facerent, hinc jurata Papæ cohors, illinc Calvini placita probans colluvies, conjuràsse videntur, ita velut agmine factô ex compositô orthodoxam Religionem aggrediuntur. Ac ex parte quidem Papistarum hic concordiam, libertati, in qvam per beatissimos Majores nostros, cordatissimos, ita me Deus amet, homines non sine divinâ ope sumus asserti, planè internecinâ meditatur ac molitur Iesuita aliquis fronte styloq; politus, vapidam interim astuto sub pectore gestans vulpem; alius pacis, quam vocat Religiosæ, auroram spargit, meris horridam tenebris; illic rabiosus aliquis apostata ingenti hiatu nos idololatras pessimosq; hæreticos pronunciat, vertens assertum Pontificis Romani Anti-Christianismum in læsæ Majestatis crimen, qvod faciunt nobile par fratrum (si spectes apo-

 sta fiam

ſtaſiam & maledicentiam) ſacer medicus Scheflerus, & omini cognominis ſui ſatis diſſimilis Ieſuita, Erbermannus. Hi omnes cum alijs ejusdem Religionis, ſe nihilo melioribus hominibus, volunt nos frugibus inventis redire ad glandes & ſiliquas ſuperſtitionum Papalium, mirum in modum nobis deprædicantes Eccleſiæ ſuæ ſplendorem, amplitudinem, gloriam atq; unitatem, qvaſi his Magiſtris nobis demum diſcendum eſſet, quid æra diſtent lupinis, qvid Babylon Romana civitati ſanctæ.

Dum illi nobis hac ex parte ita inſultant, adſunt ex alterâ Calviniſtæ, hominum genus ſubdolum atq; inquietum, crepantq; neſcio quem, conſenſũ in Fundamento fidei, *non qvod Lutheranorum ſententijs faveant, ſed ut ſenſim hâc Concordiæ illectos Specie à propriæ Confeſſionis articulis abſtractos ad ſe adducant*, ut non omninò vanè cenſuit Iacobus Maſenius part. 3 medit. Concord. p. 8. Cõſenſu illo fundãentali ſatis temerè ac irreligioſè præſtructô, Fraternitatem Spiritualem aſſiduis penè convitijs à nobis efflagitant. Neq; nihil ad hoc negotium conferunt Deo hominibusq; cordatis exoſi Syncretiſmi Autores ac Fautores, qui inter nos vivunt, lucem cum tenebris, Chriſtum cum Beliale temerariô ſanè, imò planè improbô auſu, ipſum tandem Atheiſmum producturô, (vid. Bald. l. 2. Caſ. Conſc. c. VI. cas. 3. p. 185) copulare parantes. Hæ ſunt fidei Chriſtianæ peſtes, hæ ſinceræ Religionis vibices ac maculæ.

Cogitanti autem mihi (ut ſanè qvemlibet Studioſum Theologiæ hâc de re cogitare par eſt) de primâ mali hujus in viſceribus noſtræ Eccleſiæ graſſantis origine, commodè occurrit graviſſimum ſenilis ac verè Theologicæ prudentiæ plenum effatum magni ſuô meritô Theologi Dn. D. Danhaueri, inquientis: *Indiligentior Articulorum fidei definitio πρῶτον illud ψεῦδος eſt, qvô ſyncretiſmus invaluit*, in ſtylo vindice proceſſ. Spirit. S. ſect. 2. artic. 2. §. 6. p. 278. His verbis exſtimulatus diligentiam in Articulorum fidei meditatione adhibui eam, qvæ in hominem mediocris ingenij, nec ſui ſemper juris, poteſt cadere, eô potiſſimum fine, ut adverſus φλυαρίας Syncretiſticas, quibus nonnullos haud leviter turbatos memini, memet ipſum munirem ac confirmarem. Cũq; non abs re exiſtimarem, me, deductâ in diſputationem hâc materiâ,

teriâ, luculentiſſimè poſſe de multis erudiri, feci, quod factu judicabam optimum. Rogo autem, eô quo par eſt, ſtudiò, Te, qvicunq; futurus es hujus mei meletematis vel Lector vel Cenſor, ſi in re adeò difficili ac perplexâ non ubiq; rem acu tetigi, ſi alicubi propter exiguitatem ingenij aut vitiô humanæ infirmitatis cespitavi, ut juxta humanitatis genium mecum agas parato meliora docenti patienter auſcultare. erroréq; , legitimè ac comiter commonſtratum, promptiſſimè emendare. Sit jam.

Θέσις 1. Articulus Fidei ingenere, eſt pars doctrinæ cœleſtis de objecto aliqvo ſpirituali credendo qvatenus in ſcriptura Canonica eſt revelatum.

Ἔκθεσις. §. 1. Articuli vox, qvæ eſt diminutiva ab artus primâ ſuâ impoſitione arctum quid, ſtrictum, ſectile, coaptatum tamen ſignificat ab arcto, arto, aut prisco artio, unde: artivit lingvam in palato. Hinc articulus, quaſi arcticulus; articulata, quaſi ſecta vox; ſuſpirium articulare, eſt ſecare. Propriè ſignificat juncturas & nodos digitorum arctô nexu invicem cohærentium. Per Metaphoram ſic appellantur capita doctrinæ Fidei, tùm qvia ſunt partes præcipuæ rerum credendarum, ſive partes Chriſtianam fidem conſtituentes, qvemadmodum articuli partes digitorum ſunt, & digitos conſtituunt; tàm qvia doctrina fidei Chriſtianæ in ea capita, ceu in articulos digitus, reſolvitur. Gregorius de Valentia ſic effert: *Articuli propriè dicuntur qvædam partes inter ſe aptæ ad modum, & diſtinctæ; ita in propoſitô nominantnr Metapboricè articuli fidei, ſententiæ qvædam principales, & qvæ potiſſimùm ſpectant ad negotium ſalutis. Tom. 1. diſp. l. q. 1. punct. 5.* Qvod verò hic nonnulli dicunt, indubiè primâ vocis impoſitione dictum eſſe fidei articulum, cùm qvod OMNES, qvi ſalvari cupiunt, ad fidem ſive aſſenſum & comprobationem ſui ipſius obliget, tùm qvod ita creditus ad fidem ſalvificam neceſſarium momentum adferat, mihi eqvidem valdè eſt dubium, conſideranti vocis articuli tùm Etymologiam, tùm ſignificationem propriam omnium conſenſu probatam, cui qvomodo Metaphorica innitatur, eſt in apricô. Eqvidem non ignoro Richardum de S. Victore definire articulum fidei, *qvod ſit indiviſibilis veritas de Deo arctans nos ad credendum*; ſed an exinde probari poſſit, & qvidem ita, ut nullum ſuperſit

dubium, primâ vocis impositione dictum esse Articulum, qvod OMNES ad fidem sive assensum & comprobationem obliget, hoc est, de qvo ego dubito. Statuo autem primâ vocis impositione dictum esse A. F. qvod idem sit in negotio fidei, qvod alias est junctura & nodus in digito, pars scil. præcipua seu principalis, arctô cum aliis nexu cohærens.

§. 2. Fides, cujus articuli vocantur, hîc intelligitur non ea, QVA creditur, seu apprehenditur meritum Christi, sive fides subjectiva; Sed fides QVÆ creditur, seu fides objectiva, hoc est doctrina revelata, scripturis S. contenta, circa qvàm fides hominis Christiani versatur, tanqvam circa suum proprium Objectum. Hinc articuli fidei rectiùs dicerentur articuli doctrinæ fidei, siqvidem verba sunt B. Dn. Hunnii in διασκέψει cap. I. §. 51. *ex doctrina fides oritur, hujus autem doctrinæ pars non protinus est pars fidei, qvæ ex doctrina oritur; ideò non fidei, sed doctrinæ fidei articulus appellari merebatur. Qvia verò usus Ecclesiasticus ita invaluit, parùm refert, usitatum & omnibus notum terminum retinere.* Idem Hunnius l. c. notat vim vocis Articuli tria potissimùm inferre *I. particularitatem rei, qvæ illo nomine signatur, cum omnis articulus respectum inferat (α) ad totum, cujus est pars, sive articulus. (β) ad reliqvas partes in toto illo comprehensas. II. Connexionem, cum non dicantur articuli, nisi in relatione cùm ad articulos alios, tùm & præcipuè ad totum; eam verò relationem fundari in mutua unione articulorum sine qva cesset respectus, & cum respectu appellatio. III. Distinctionem, ut enim articulos oportet connecti, sic necessarium esse eosdem distingvi, ut qvamvis arctè cohæreant, sit tamen unus extra alterum positus*

§. 3. Dicuntur aliàs A. F. etiam mysteria fidei, qvod sint res abstrusæ, reconditæ, humanæ rationi imperviæ, nec nisi Revelatione divinâ patefactæ. Vide hanc appellatioem prolixè explicantem Dn. D. Calovium System. Theol. Tom. I. p. 768. Appellantur etiam credenda, voce hâc strictè accepta pro iis, qvæ habent aliqvem in fidem salvificam influxum.

§. 4. Per doctrinam cœlestem intelligitur universus ambitus doctrinæ supernaturalis & Salvificæ, qvæ cœlestis vocatur tùm originaliter, qvia cœlitus â patre luminum peculiari qvodam modo est patefacta Matth. XVI. 17. tùm objectivè & Materialiter,

terialiter, qvia tota est de rebus Cœlestibus, hoc est, ad cœlum seu felicitatem Cœlestem spectantibus; tùm deniq; effectivè & finaliter. Nam ut eô fine nobis est tradita, ut ejus ope asseqvamur felicitatem cœlestem Joh. XX. 31. ita etiam cœlestes nos efficit, hâc qvidem in vita inchoativè per spem, fidem, & charitatem, post hanc verò fidem consumativè per beatificam, summèq; delectabilem patris cœlestis visionem ac perfruitionem æternam Joh. v. 24.

§. 5. Hæc doctrina sese habet ut totum qvoddam ex pluribus partibus conflatum, qvarum aliæ sunt principales, aliæ minus principales. In relatione harum partium tùm ad se invicem, tùm ad totum, doctrinam scil. cœlestem, cujus partes sunt, consistit forma Articulorum fidei generica. Id obiter addo, has partes tàm arctè inter sese cohærere, ut luxatâ vel solùtâ unâ parte statim convellatur ac solvatur tota fidei compages, sicuti unicô confractô annulô, tota rumpitur catena. Hinc fides dicitur una copulativa, & B. Lutherus in cap. v. ad Galatas, ait. *Doctrina cœlestis est inter instar puncti Mathematici; non igitur potest dividi, hoc est, neq; ademptionem, neq; additionem ferre potest. Est eadem perpetuus & rotundus aureus circulus, in nulla qvo sit fissura.*

§. 6. Nomine Objecti Spiritualis intelligo objectum supernaturale, sublime atq; inevidens, supernaturaliter patefactum, spectans bonum supernaturale, atq; id nos ordinans; contradistinctum objecto, sive rei naturali, terrestri, corporali, spectanti bonum aut factum aliqvod naturale ac terrestre. Ubicunq; igitur proponitur res aliqva naturalis ac terrestris, ibi non est objectum proprium & adæqvatum fidei, & per conseqvens, non articulus fidei qvale objectum est e. g. historiæ de cane Tobiæ, ex qva historia Jesuitæ in colloqvio Ratisbonensi ineptissimè exsculpere voluerunt Articulum Fidei, Huc pertinent omnes historiæ in sacris literis contentæ, facta corporalia narrantes, qvâ talia. Eodem loco etiam habendæ sunt doctrinæ morales, qvæ pro objecto habent vitam moresq; hominis sic vel aliter formandos. Nam licet hæ doctrinæ indirectè circa bonum spirituale seu supernaturale versentur, & ad id obtinendū suô modô cooperententur, qvatenus hominem dirigunt ad vivendum vitam Deo

gratam, cùm tamen directè occupentur circa mores hominis in hanc vel illam partem flectendos, adeoq; circa facienda, nos verò h. l. ſoliciti ſimus de credendis, ſive dogmatibus docentibus qvid credendum, qvid non credendum ſit, doctrinas morales, docentes qvid faciendum, qvid omittendum, excludimus per adrectam vocem CREDENDO.

§. 7. CREDENDUM vi vocis ſignificat id, quod debet credi. Cumq; τὸ debet ſit alicujus neceſſitatis nota, neceſſitas verò alia indigentiæ, alia expedientiæ, alia ſimplex, alia κατά τι, τινὶ καὶ ποτὲ talis, ex infrà dicendis pateſcet, quo neceſſitatis genere ſingula dogmata ſint creditu neceſſaria. Eſt autem CREDERE qvoad hoc negotium, nihil aliud, qvàm aſſentiri, ſive aſſenſum præbere objecto credendo, ita quidem ut inde e[illegible]at ſalutaris in ſalutis autorem Deum, fiducia. Dico igitur me per vocem CREDENdo innuere talem credendorum apprehenſionem, quæ cum determinato judicio conjuncta ab intellectu removet infidelitatem & ignorantiam, qvæ æternam ſalutem excluſura & damnationem inductura eſſet: in voluntate autem fiduciam gignit ſalutarem. Deinde, cum aſſenſus alius ſit langvidus, cumq; oppoſiti formidine conjunctus, alius certus atq; indubitatus omnem oppoſiti formidinem excludens, quilibet videt, me intelligere h. l. poſteriorem, qui à ſuô objectô ſeu motivô formali, infallibili Dei Revelantis autoritate, cui ceu fundamento innititur, item à cauſâ efficiente principali Deô, ſeu Spiritu Dei, per verbum revelatum, lectum vel auditu perceptum, tanquam per cauſam inſtrumentalem, ejusmodi aſſenſum in homine producente, aliàs vocatur aſſenſus fidei divinæ, item, Fides divina ſimpliciter, ad differentiam Fidei humanæ, motivo, teſtimoniô, vel autoritate humanâ innixæ.

§. 8. Tanti momenti res ut eò rectius intelligatur, ex unâ parte accuratè obſervandum Objectum in qvod tendit aſſenſus fidei, ſeu cui præbetur, ſive quod idem eſt, Objectum ejus materiale; ex altera parte notandum, ſub qua ratione tendat in objectum, ſeu quænam ſit ratio formalis & proxima tendendi in illud, ſive quod idem eſt, quodnam ſit ejus objectum formale, movens intellectum efficaciter ad præbendum objecto materiali certum & indubitatum aſſenſum.

§. 9.

7

§. 9. Objectum Materiale (genericum nempe) assensus hujus paulò ante expressi & indicavi sub appellatione objecti spiritualis seu supernaturalis. Hoc objectum, quatenus quidem assensum nostrum exposcit, cum nuspiam occurrat vel inveniatur, nisi in scripturâ, nos verò illi nullam aliam ob rationem præbeamus assensum, nisi, quia continetur vel revelatum est in scripturâ, adeoq; propter infallibilem scripturæ autoritatem, promptum hinc est colligere, assensus hujus objectum tùm materiale, tùm formale esse scripturas. Qvoniam igitur res tandem omnis redit ad scripturas Θεοπνεύστους, propterea addidi in definitione: QVATENUS in SCRIPTURA CANONICA est REVELATUM. Particula restrictiva QVATENUS denotat rationem ultimam sub qvâ & propter qvam assensum præbemus objecto credendo. Hæc a. nulla est alia, qvàm autoritas Dei Revelantis, seu Revelatio in scripturâ Canonicâ positâ, seu veritas prima Revelans, nam hæc quoad rem unum & idem sunt licet differant quoad modum significandi, hinc promiscuè modò hoc, modò illud pro objectô formali fidei à Theologis allegatur.

§. 10. Vocem SCRIPTURÆ adhibeo duplicem ob causam. Primò ut excludam Pontificiorum verbum non scriptum, qvod ipsi verbo scripto succenturiant, pariq; pietatis affectu suscipiendum & prosequendum sciscunt. Concil. Trid. sess. 4 decret. 1. Hinc duo Papistis rerum credendarum sunt principia: Verbum scriptum, & non-scriptum, quod posterius aliàs vocant verbum traditũ seu traditiones, de qvibus egregiè pronunciat B. D. Hülsemannus: *Traditiones, non scriptæ, (inquiens,) sive tradant objectum aliud & novum in Biblüs non expressum, sive interpretentur & exponant dogma in Biblüs jam traditum, in quantum differunt à textu, qvem exponunt, non sunt objectum fidei salvificæ, nec generant fidem divinam, nec creduntur fide divinâ, nec licet eas pari pietatis affectu amplecti, qvò oportet amplecti dogmata divinitùs in Biblüs revelata Devt. XII. 8.* Breviar. Theol. c. 1. §. 3.

§. 11. Altera ratio est, ut excludã verbũ non scriptũ revelatum Enthusiastarum, qvi neglectis scripturis Θεοπνεύστοις, qvas debebant scrutari & solas pro unicô fidei principiô, regulâ & normâ habere

habere

habere, nescio qvibus secretis cum Deo colloqvijs, raptibus & revelationibus spiritus inhiant, atq; ab ijs fidem suam suspendunt. Sed cum in tertium usq; cœlum raptus Apostolus disertè dicat, anathema esse Angelum, si qvis aliud annunciet Evangelium, præter id, quod annunciatũ est, *Gal. 1, 8.* nos istos novarũ revelationum candidatos & assertores πολλὰ κλαίειν jubemus, certò persvasi, ipsorum ἐνθουσιασμοὺς cum omni visionum tantoperè jactatarum choragiô procedere à patre mendacii, qvi ut est simia Dei, & simul hostis Dei & hominum ἄσπονδος se transformat in Angelum lucis, ut sub prætextu revelationum divinarum circumveniat, æternoq; exitio involvat suas μεθοδείας nec satis callentes, neq; caventes homines.

§. 12. Adddo epitheton CANONICÆ, ut innuam discrimen inter libros Biblicos qvi sunt in Canone, & verè Θεόπνευστοι & qvi sunt extra Canonem, dicti alios Apocryphi ab ἀποκρύπτειν id est occultando, vel qvod sint abscõditi, hoc est, originis absconditæ & occultæ, vel qvod sint abscondendi, nec in Ecclesia legendi, qvemadmodum hoc vocabulum explicat B. Gerhardus in Exeg. Loc. 1, c. 6. Solis libris Canonicis (strictè & propriè sic dictis) hanc vindico autoritatem ac prærogativam, ut possint fundare articulos fidei propriè sic dictos. Libri Apocryphi, cum non sint Θεόπνευστοι, id qvod præter defectum reqvisitorum satis arguunt pudendi ἀναχρονισμοὶ & varia cum impia superstitione conjuncta ἁμαρτήματα in illis occurentia, qvæ absit ut in Θεοπνεύστους scriptores cadere posse dicamus, non possunt generare fidem divinam, nec fundare dogma fide divinâ credendum, nec ad illud firmiter probandum adhiberi, nisi forte in disputatione κατ' ἄνθρωπον.

§. 13. Hinc duplici vitiô laborabat ille à Tannerô in colloqvio Ratisbonensi productus articulus fidei de cane Tobiæ. Unum vitium tetigimus jam tùm §. 6. Alterum erat qvod desumptus esset ex libro Apocrypho Tobiæ. Sed posteriùs hoc fortè non fuerit vitium, si respiciamus personã proferenten. qvæ credere juxta decretũ Concilii Tridentini tenebatur, omnes libros Biblicos esse ejusdem ordinis atq; autoritatis. Prius autem vitium videtur ipse Tannerus agnoscere qvi assertionem hanc, Tobiam habuisse canem, qvàm pro articulo fidei venditaverat, excusaturus *Tom. III.*

III. disp. I. de fide q. I. dub. 71. n. 197. dicit, Articulum fidei accipi nonnunqvam generatim, ut significet qvamlibet veritatem à Deo revelatam, adeòq; fide divinâ credendam, & innuit, se velle hoc generali significatu intellectum, qvod articulum fidei dixerat, Tobiā habuisse canem.

§. 14. Circa τό REVELATUM notandum, aliqvid Revelatum dici vel formaliter & immediatè, vel virtualiter & mediatè, sive, quod eodem recidit, Revelationem aliam esse Formalem & immediatam, aliam Virtualem & mediatam. Revelatio formalis & immediata dicitur revelatio divina, in qvantum ut ratio assentiendi proxima sese habet ad Objectum materiale, idq; absq; interventu alterius propositionis revelatæ attingit. In quantùm vero eadem revelatio, ut ratio assentiendi remota sese habet ad objectum materiale, idq; mediante aliâ propositione revelatâ attingit, dicitur Revelatio virtualis & mediata. V. g. Revelatio qvâ Deus revelavit se solum adorandum, & sibi soli serviendum, relata ad hanc propositionem: Solus Deus est adorantus, & illi soli serviendum, est revelatio formalis & immediata; quia actu formaliter eam afficit, & in esse propositionis revelatæ constituit. Eadem verò relata ad propositionem aliam, qvæ ex hac formaliter revelata per conseqventiam deducitur, v. g. hanc: sancti demortui non sunt invocandi, est & dicitur ejus Revelatio virtualis & mediata, quia non actu & formaliter eam afficit, & in esse propositionis revelatæ constituit, sed potentiâ tantùm, virtualiter & mediatè, in qvantum afficit propositionem, in qva virtualiter sive potentia, & per conseqventiam ea continetur.

§. 15. Cum igitur dico assensum fidei respicere objectum revelatum, τό REVELATUM sumo qvatenus includit cùm Revelationem formale & im̃ediatam, tùm virtualem & mediatam, ita ut non minus hæc præpositio: *Sancti demortui non sunt invocandi*, qvæ saltem virtualiter & mediatè est revelata; qvàm illa: *Deus est adorandus*, qvæ est formaliter & immediate revelata, ex qvâ prior per bonam conseqventiam potest elici, fide divina sit credenda. Mea, ut clarius dicam, mens est propositionem virtualiter & mediatè tantùm revelatam, non minùs qvàm formaliter & immediatè revelatam, posse constituere ac fundare articulum fidei etiam strictè sit dictum, qvi scil. nos directè ordinet

ad vitam æternam, seu cujus notitia necessaria sit ad conseqvendam salutem æternam.

§. 16. Ut sic statuam, movet me tùm Christi & Apostolorum, tùm priscæ Ecclesiæ praxis, tum ipsius Revelationis ratio & indoles. Nam Christus & Apostoli in probandis dogmatibus fidei provocarunt etiam ad testimonia scripturæ, qvæ non expressè & formaliter, sed per conseqventiam & virualiter saltem, id qvod probandum erat, testificabantur, atq; sic rationem probandi doctrinam fidei eiq; assentiendi ipsô factô constituerunt in Revelatione virtuali & mediatâ.

§. 17. Qvod ad Christū, exempli locô sit disputatio inter ipsum & Sadducæos habita de resurrectione mortuorum, dogmate maximè necessariô creditu, qvodq; hoc nomine expressum in Symbolo Apostolico articulum constituit. Resurrectionem mortuorum futuram negabant Sadducei, Christus illam adstructurus *Matth. XXII.* producit statim testimonium Dei *ex Exod III. 6. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. De resurrectione mortuorum,* inqviens, *non legistis qvod vobis dictum est à Deo &c.* ubi ipsa statim verba de mortuorum resurrectione &c. arguunt dictum illud Dei: Ego sum Deus Abraham &c. continere testimonium de resurrectione mortuorum. *Confer. Marc. XII. 26. Luc. XX. 37.* Sed Deus in hoc dicto non est formaliter & immediatè testificatus mortuos esse resurrecturos, cum in eo nulla resurrectionis mortuorum expressa mentio fiat. Ergo virtualiter & mediatè tantùm, in qvantum scil. ex eâ, & alia propositione huic evidenti principio innixa: DEus non est DEus mortuorum, sed viventium, per legitimam & validam conseqventiam potest concludi. Hoc modo etiam resurrectionem exinde probatam, indicio est adversariorum silentium, stuporq; cœterorum hâc ratione in doctrinæ cœlestis admirationem raptorum auditorum, vide omninò hanc in rem *cap. XXII. Matth. à. v. 23. usq; ad 33. Confer Jansenium in Concord. Evang. c. 117. p. 73.*

§. 18. Exemplum Magistri ex revelatione virtuali & mediata probantis luculentum fidei articulum, imitati sunt discipuli, id qvod constat exemplo Pauli *Act. XXVI. 22. Petri Act. X. 43. Apolli act. XVIII 28.* qvi quæcunq; de Jesu Nazareno credi oportebat

tebat

rebat, qvalia erant, eum esse Christum illum, promissum mundi Messiam, esse passurum pro peccatis generis hnmani, resurrecturum, remissionem peccatorum daturum omnibus in se credentibus, ex Scripturâ V. T. deduxerunt, & qvod creditu necessaria essent, probarunt, ubicunq; & qvandocunq; opus fuit. De Jesu Nazareno autem determinatè spectatô nihil erat in Scripturis V. T. revelatum formaliter & immediatè, sed qvæcunq; de illô revelata erant, tantùm virtualiter, mediatè & per consequentiam revelata erant, ut Scripturarum V. T. inspectio ocularis docet.

§. 19. Hinc consequitur, revelationem virtualem & mediatam esse articulos fidei rationem probandi, iisq; assentiendi veram & propriam, utpote nixam hinc autoritate ipsius veri, sapientissimi & omniscii Dei; illinc Apostolorum ex immediata assistentia atq; inspiratione Spiritus S. loqventium ac scribentium, ut adeò planè impossibile fuerit illos in probandis fidei dogmatibus errare, aut illorum rationem probandi & assentiendi veram & propriam constituere ipsô factô in aliqvo, qvod non esset illorum ratio probandi & assentiendi vera & propria, uti loqvitur *Dn. D. Musæus disp. VIII. de Convers.*

§. 20. Qvod Christus & Apostoli fecerunt, prisca etiam fecit Ecclesia, modò Christi divinitatem contra Arianos, negantes Christum dici debere ὁμοούσιον Patri; modò Spritus S. Divinitatem, contra negantes eam Macedonianos; modò alium palmarium fidei articulum, contra alios eum protervè negantes vel impugnantes adversarios probans ex Scripturis, in qvibus ille articulus non expressè, immediatè & formaliter, sed virtualiter & mediatè tantùm erat revelatus. Hoc dum fecit prisca Ecclesia, satis ostendit, etiam Revelationem virtualem & mediatam sufficere ad dogma fidei probandũ, & assensũ fidei fundandũ. vid. Dallæi de fide ex Script. demonstr. tract. part. I. c. 6. Spanheimij Syntagma secund. disp. XXVI. Dn. D. Musæi disp. VIII. de Convers. ubi Pontificiorum objectiones & exceptiones, qvibus nos fatigant, egregiè refellit.

§. 21. Si jam ipsam spectemus Revelationem, sic licet colligere: Qvi principium aliqvod ponit, is, qvæcunq; inde per bo-

nam consequentiam fluunt, eadem qvoq; operâ ponit. Ut, qvi dicit, nos habere qvatuor Evangelia, is hôc ipsô duo & duo nos habere statuit, qvod hi numeri eô, qvê ipse posuit, apertissimè contineantur. Ut scriptura dum ait. Christum esse hominem, simul ait, cum animâ & corpore esse præditum, qvod his duabus partibus omnis hominum natura constet. Itaq; cum necessariò vera sint ac divina, qvæ tanqvàm principia DEus opt. Max. pro sua sapientia in Scriptura posuit, necessariò qvoq; talia erunt, qvæ ex Scripturâ validè ac legitimè colliguntur & per conseqvens fundabunt articulos fidei.

§. 22. Huic veritati tùm alii Pontificii, tùm præprimis VValenburchii magno conatu sese objiciunt, ac primò qvidem ad praxin Christi & Apostolorum, qvam ipsis opponere solemus, excipiunt, *Christum & Apostolos probasse quidem articulos fidei discursu ex revelatione virtuali & mediato deducto sufficienter, & redarguisse eos, qvi contrarium sentiebant, tanqvam ERRANTES in FIDE non tamen vi Revelationis virtualis & mediatæ, aut vi discursus inde deducti, sed vi suæ supernaturalis autoritatis, qvâ pollebant. vid. Append part. II Method. August q. II. n. XXVII.* Qvin eò usq; procedunt, ut dicant *argumentum à Christo ad probandam mortuorum resurrectionem allatum, non fuisse evidens, & hoc ipso spectatum citra autoritatem Christi, seu* ut ipsi loquuntur, *in dependenter ab autoritate Christi supernaturali ad probandum fidei articulum insufficiens.* Addunt: *Animæ quidem immortalitatem immediatè ac evidenter à Christo probatam fuisse, non item, qvod æqvè erat controversum, & qvod in illo conflictu in disceptationem venerat, Carnis resurrectionem; hujus respectu argumentum Christi non fuisse absolutè ac ad rem evidens ac necessarium, multo minus ad articulum fidei probandum sufficiens.*

§. 23. Respondeo breviter: si argumentum Christi vim suam omnem habuisset ab autoritate proponentis super naturali, quomodò illâ ipsâ probatione vel illatione obstruxisset os hostium suorum, qvi autoritatem ipsius nec agnoscebant, nec suscipiebant. Opus itaq; erat verbis à Christo allegatis inesse vim, hoc ipsum, qvod probare satagebat, probandi. Imò si Christo constitutum fuisset autoritativè hîc agere cum Sadducæis, non ratio-

ratiocinativè, suam illis autoritatem opposuisset, non Scripturæ, ad probationem dogmatis ab ipsis negati. Dicere verò argumentum illud non nisi forsan per remotam, eamq; itidem obscuram consequentiam concludere id, qvod erat probandum, est omnis sapientiæ promocondo Christo ignorantiam impingere, vel μεθοδείαν. Utrumq; verò blasphemum. *Vid. Dn. Museum. l. c. Dn. Danhauerum contra Onirocritas Batavos deliq. XI.*

§. 24. Deinde ulterius nobis obstrepunt οἱ ἐξ ἐναντίας, dictitantes (1) *Conclusiones ex Revelatione per consequentiam elicitas, in qvantum ita per discursum sunt elicitæ, non esse de fide, nec posse in illis cadere assensum fidei divinæ, eò qvod alterutra præmissarum plerumq; naturalis sit, vel si utraq; sit revelata, rationem tamen inferendi, & præmissarum dispositionem in figura & modo naturalem esse. Sed ad assensum fidei divinæ requiri, ut ejus ratio assentiendi sit merè divina & supernaturalis.* Præterea dicunt: *si alterutra præmissarum sit tantum certa certitudine naturali, conclusionem etiam tantum certam esse certitudine naturali, eò qvod conclusio sequatur partem debiliorem juxta tritum philosophorum axioma.* Addunt, *non posse nos tutò acqviescere in Conclusione per discursum ex Revelatione deducta, ideo, qvod ratio sæpè fallatur, multaq; ex qvibusdam principiis inferat ac deducat, qvæ tamen ex iis minimè sequuntur* Qvin imò *nobis Lutheranis ne qvidem integrum esse provocare ad consequentias, cum subinde dixerimus SOLAM scripturam esse unicum ac legitimum articulorum fidei principium. Qvod si solam scripturam h. l. habeamus, scriptura a. nihil præter terminos expressos contineat, utiq; nos indicare, sola illa dogmata, qvæ in scripturis extant αὐτολεξεὶ & formaliter expressa, censeri debere de fide, non item illa, qvæ demum ratiocinando inde sunt eruenda.*

§. 25. Resp. ad obj. primam, principium, qvo illa nititur, nimirum; *Rationem assentiendi fidei divinæ esse merè divinam & supernaturalem, ut planè nihil naturale includat,* esse falsissimum. Nam fidei divinæ assentiendi ratio, qvæ omnium consensu est Revelatio Divina, includit sui apprehensionem simplicem. Movet enim intellectum in assensum veritatis per modum medij cogniti, atq; sic includit necessariò sui apprehensionem sive cognitionem simplicem. De lege ordinaria a. omnis apprehensio

ſimplex, juxta ipſorummet adverſariorum placita, naturalis eſt. Ergo ratio aſſentiendi fidei divinæ, non eſt ita ſecundum ſe totam divina & ſupernaturalis, ut planè nihil naturale includat. Adde, qvod Revelatio formalis & immediata, qvæ eſt ratio aſſentiendi fidei divinæ propria, in quantum intellectum movet in credendorum aſſenſum ſupernaturalem, includat in ipſa vi & ratione motiva aliqvid naturale, uti egregiè probat vir nunquam ſine laude nominandus *Dn. D. Muſæus disſp. VI. de Converſ. n. 56 & disp. IX c. l. n. 4.*

§. 26. Reſp. ad Object. ſecundam. Etſi alterutra præmiſſarum tantum certa ſit certitudine naturali, tamen ſi ea præmiſſa ſit abſolutè & ſimpliciter neceſſaria, ita, ut nullo modo, nulliusq; intuitu aliter ſe habere poſſit, tùm concluſio erit de fide, & aſſenſus concluſionis certus certitudine fidei per eà, qvæ tradit ſæpe laudatus Dn. Muſæus, quorum hæc eſt ſum̃a: illam præmiſſam, quæ ex naturali ratione deſumpta eſt, cum ſit indifferens ad plures diverſarum disciplinarum concluſiones, non poſſe concluſioni largiri eſſe ſpecificum, ut vel ſit, vel dici propterea mereatur naturalis, ſed totum eſſe ſpecificum concluſionis deductæ ex altera naturali, altera verò revelata propoſitione dependere à propoſitione revelata, tanqvam principio proprio. *Vid. tract. de uſu princip. Rat. l. 2. c. 13. & 14. disp. IX. de converſ. c. 2. confer Dn. Danhaueri polemoſoph. S. p. 42.*

§. 27. Nec obſtat, qvem ceu Gorgonis caput nobis objiciunt, Canon ille Logicus: Concluſio ſeqvitur partem debiliorem (præmiſſarũ) Nam hoc tantùm vult Canon ille, ſi præmiſſarum altera univerſalis fuerit, altera particularis, altera affirmans, altera negans, concluſionem ſeqviorem partem ſecuturam, hoc eſt particularem, non univerſalem; negantem, non affirmantem futuram. Breviter: Canon iſte de quantitate & qvalitate concluſionis eſt intelligendus, non de materiæ ipſius indole, adeoq; non ſeqvitur concluſio in omnibus præmiſſas, eò qvod effectus non omnia, qvâ causæ ſunt, accipiat. vid. Dn. D. Heinrici Höpfneri *Iſag. ad. S. Cœnam Tr. Pract. ſect. 1. art 2. cap. 1. aph. 15. can. 2. §. 5. p. 175.* & Dn. D. Danhaueri polemos. *art. 1. § 15.* Confer Dallæi tract. de fidei ex ſcript. demonſtr. c. XIII. ubi profert egregium

um locum Ambrosii Catharini, qvi hanc ipsam Logicorũ regulam in adversarium suum Sotum, & idem cum eo sentientes sophistas VValenburchios, admodum ingeniosè retorqvet, innuens, *qvoniam ea, qvæ de fide est propositio, si captus nostri ratio habeatur, minus certa, minusq; evidens, adeoq; debilior sit, qvàm qvæ ex ipsa naturæ luce habetur, conclusionem argumenti ex hoc ipso Dialecticorum Canone de fide censendam esse, siqvidem earum, ex qvibus infertur, propositionum altera de fide fuerit.*

§. 28. Resp. ad obj. tertiam. Ex potentiâ fallibilitatis non semper inferendum esse actum, non sanè magis qvàm ex fallibilitate visus vel auditus nostri concludimus, nihil certi nos audire vel videre posse. Nec obstat, qvòd actu ipso sæpè fallamur. Nam sæpè non est semper. Cum fallimur, contingit illud ex neglectu legitimorum mediorum, qvæ accuratè observata, & rectè applicata nos in ratiocinando præstant infallibiles, si præsertim accedat lumen supernaturale, qvod non potest non affulgere homini pio, in rebus fidei luminum patri devotè supplicanti semperq; ad scripturas, velut ad Cynosuram qvandam respicienti, & ad earum ἀδιάψευστον Canonem omnia debitô modô exigenti ac probanti: vid. egregiô hoc simili illustrantem Dn. Danhauerum in polemosoph. S. p. 44. Ac ita qvidem hîc versandum, ut recipiamus, qvod cum scriptura consentit, qvod ab ea dissentit, rejiciendum. Ratione utendum ut instrumento ad deprehendendam veritatẽ connexionum, non ut mensurâ dogmatis. vid. hanc in rem aureolus Dn. Musæi Libellus de usu princip. Rationis.

§. 29. Ad Obj qvartam resp. brevissimè, Lutheranos cum dicunt SOLAM scripturam esse unicum articulorum fidei principium, per vocabulum SOLAM excludere verbum traditum, decretum humanum, lumen naturale Enthusiasticum, minimè verò organicum conseqventiarum & interpretationis subsidium. Hoc igitur volumus: Scripturam S. omnia nobis ad salutem conseqvendã necessaria proponere ac revelare, ita ut extra illam, tanqvàm necessarium dogma, & articulum fidei sive superaddere, sive detrahere simpliciter prohibitum sit. Vide hoc prolixè & præclarè ostendentem Dn. Musæum in tract. de usu princip.

Rat.

Rat. l. 2. c. 13, Confer. disp. IX. de Converſ. c. 3. & disput. 1. contra Maſenium.

§. 30. Hæ ſunt potisſimæ adverſariorũ objectiones, qvas in medium producendas, & proterendas eâdem operâ cenſui, ut redderetur eò magis conſpicua veritas hujus aſſertionis: Etiam Revelationem virtualem & mediatam poſſe fundare articulum fidei, ſive qvod eodem recidit, etiam Illud dogma eſſe de fide, qvod probatur bonâ & firmâ conſeqventia ex ſcripturis deducta. Qvod ego qvidem cùm ob rationes ſuprà allatas perſvaſisſimum habeo, tum etiam hoc nomine credo, qvoniam Spiritus S. concluſionem διανοητικῶς in Sacro codice comprehenſam Scripturæ S. teſtimonium appellat Act. X. 43. & Sadducæi, ignorantes conſeqventiam è Scripturis, ignoratæ Scripturæ accuſantur à Domino Matth. XXII. 29. ſic Joh. VIII. dicitur: *In lege veſtra ſcriptum eſt, qvod duorum hominum teſtimonium verum eſt.* At in qva lege totidem verbis? Lex Deut. XVII. 6. ſic habet: *In ore duorum aut trium teſtium peribit, qvi interficietur.* & cap. XIX. *In ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verum.* Nimirùm conſeqventia hîc militat: Omne ſundamentum damnationis ſufficienter ſtabilitum, verum eſt. At duorum hominum teſtimonium eſt ejuſmodi fundamentum. Ergò verum eſt. Dn. D. Danhauer polemos. p. 37.

Θέσις II. Attributa ſeu affectiones articulorum fidei abſtractivè & in genere conſideratorum ſunt (1) dependentia à ſcriptura & convenientia cum eadem (2) Sublimitas (3) inevidentia (4) mutua cohærentia & conformitas (5) reſpectus & ordo ad ſalutem.

Ἔκθεσις. §. 1. Præſuppono hic, qvod ſuprà etiam indicare volebam, ſcripturas, qvas nos Lutherani vocamus Canonicas, eſſe verè tales, hoc eſt Verbum Dei indubitatum, ratione exiſtentiæ cognoscendum ex traditione & teſtimonio Eccleſiæ, ratione eſſentiæ verò cognoscibile ex notis ejus intrinſecis, ipſius ſcil. Scripturæ, qvam ab autore ſuo Spiritu S. inditam & perpetuò connexam habet ἐνεργείᾳ qvâ animo legentis, audientis eam aut meditantis firmiſſimè perſvadet, hoc eſſe ipſiſſimum Dei Verbum 1. Joh. v. 6. Præſuppono (2) in librorum Canonicorum proto-

typis

typis etiam nunc extantibus, neq; verba neq; res esse adulteratas, Præsuppono (3) nos posse assequi verum scripturæ sensum per instrumenta bonæ interpretationis, institutæ devotâ investigatione naturalis significatus, phraseon & vocabulorum, antecedentium & sequentium in textu, occasionis item & scopi dicentis, comparatione locorum similium, qvod est scripturam interpretari ex semet ipsa. Deinde, cum Divina Majestas in subortis circa fidei negotiũ controversiis Iudæos disertè ablegat ad Scripturã his verbis: *Ad legem & testimonium Esai. VIII. 20.* Hinc colligo, illud dogma, qvod credendum proponitur ut ad salutem creditu necessarium, debere in Scriptura S vel formaliter & expresse, vel virtualiter & κατὰ διάνοιαν extare, illiq; per omnia esse conforme. Qvod si non qvadrat ad legem & testimonium, hoc est ad normam verbi scripti, non erit pro dogmate ad salutem creditu necessario, seu pro articulo fidei habendum. Ita ut sentiam moveor Aphorismo Apostolico 1. Cor. IV. 6. *Discatis suprà id, qvod scritum est, non sapere.* Atq; hinc etiam factum arbitror, qvod Apostolus Scripturam S. alleget *pro fundamento doctrinæ, redargutionis, correctionis, institutionis in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus II. Tim. III. 16.*

§. 2. Sublime h. l. voco id, qvod est sublimioris seu altioris ordinis & indaginis, qvàm ut possit perfectâ cognitione à nobis comprehendi. Hoc modò sese habent omnes fidei articuli, qva tales, qvia principium fidei non sunt sensus vel Ratio humana sed unicè Divina Revelatio Psal. XXXV, 16. & ea, *quæ sub fidem cadunt, ignota sunt carni & sangvini Matth. XVI. 17. nec capi possunt ab humana ratione 1. Cor. II. 11. 14. Sed qvò diligentius ea secundum regulas suas Ratio examinat, eò magis videntur absona & stulta. Rom. VIII. 5. 1. Cor. I. 17. 19. 20 c. II 14. Ideoq; captivanda est Ratio sub obseqvium fidei 2. Cor. X. 5.* nec cum Schlichtingio Sociniano (vid. ejus disput. de Trinit. p. 125.) dicendum, contradictionem implicare cum aliqvod dogma captum Rationis excedere dicitur, & tamen pro articulo fidei habetur. vid Stegmanni Photin. disp. II. Nec difficile hinc est conjicere, qvo loco habendi sint Calvinistæ, Rationẽ ejusq; principia materialia ceu normam seqventes. vid. Dn. D Danhaueri Hodom. Calv. p. I. phantas. I Musæi de usu princip. Rat. l. 1. c. 18.

§. 3. Inevidentia de qvâ hîc loqvor, non residet in Revelatione, qvâ proponuntur credenda; sive in verbis ac modis loqvendi, qvib9 exprimuntur, nam ex hâc parte satis evidentes sunt articuli fidei, uti etiam scriptura eos proponens tám est lucida & perspicua, ut propterea comparetur lucernæ Psalm. 119. v. 105. Hinc etiam Augustinus dicit: *In iis, qvæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, qvæ continent vitam moresq́; vivendi. lib. 2. de doctrinâ Christ. c. 9.* Ex hâc igitur parte articuli fidei inevidentes non sunt, sunt autem inevidentes qvoad res ipsas, sive qvoad objecta, qvæ cum sint à sensibus & Ratione nostra remotissima, evidenter à nobis cognosci neqveunt. Hinc fides versari dicitur *circa τὰ βλεπόμενα Ebr. XI. 1.* Et cognitio nostra appellatur *ænigmatica & specularis 1. Cor. XIII. 12.* Neq́; obstat hæc inevidentia, qvò minus objecta illa fidei certò credantur. Nam ad certum iis & indubitatum assensum præbendum intellect9 determinatur ex imperio voluntatis inductæ ex motivo, qvod sua natura oppositi formidinem excludit, infallibili scil. Dei revelantis autoritate. Hâc nisi, mediante voluntatis imperiô, intellectus moveretur, nunqvam certũ objecto inevidenti præberet aut præbere posset assensum. vid. præclarè hoc ipsum ostendentem Dn. D. Musæum disput. VI. de Conversion.

§. 4. De cohærentia mutua jam tũm aliqvid dictum est in Θέσεως præcedentis ἐκθέσει §. 5. ubi etiam indicatum, in relatione articulorum ad se invicem consistere illorum formam genericam. Ut igitur possint ad se invicem referri, necesse est, ut sint sibi invicem conformes, nec alter ab altero discrepet, aut alter alterum evertat. Atq́; in hoc consistit fidei analogia, de qvâ Apostolus agit Rom. XII, 6. *ubi interpretationem Scripturæ vult esse analogam fidei*, id est, ita comparatam, ne pugnet cum præcipuis & summis capitibus doctrinæ cœlestis, sed cum iis exactè consentiat. Hujus consensus judex, judice Crellio Photiniano, non est, nec esse potest alius præter intellectum hominis sanum, qvem etiam sanam Rationem vocamus; qvod verum est, si spectatur recta Ratio, ut Subjectum ac principium QVO. Nam per aliud medium, sive per aliam facultatem homo nullum ferre potest judicium de rebus, qvàm per intellectum & Rationem. Sed

si

si hoc vult Crellius, uti omninò velle videtur (vid. qvæ sequuntur verba à nobis citata in epist. Crellii ad Joachimum Peuschelium) de locorum veritate intellectum nostrum judicare posse ex Ratione, id est, ex principiis Rationis & Philosophicis, & in omni disciplina pro sua natura verissimis, ita, ut, qvibuscunq; posteà rebus applicentur, veritatem indicent, neglecta verborum nativa ac propriâ significatione, ipsũ cum suô judice in malã rẽ abire jubemꝰ. A di differt. Dn. Felvvingeri de Photinianorũ Analogia fidei

§. 5. Qvodcunq; dogma nullum habet ordinem & respectum ad salutem, eamq; promovet, illud non venit in censum articulorum fidei propriè sic dictorum, sive dogmatum credendorum, ut qvæ ideò nobis proponuntur, ut credentes ea habeamus vitam æternam Joh. XX. 31. Respectus autem & ordo iste non est ejusdem ordinis, adeòq; dogmata credenda non ejusdẽ sunt dignitatis. Qvo propior est respectus, eò major est dignitas & credendi necessitas, uti ex infrà dicendis patescet. Hæ sunt affectiones potissimæ articulorum fidei genericè consideratorũ, qvæ affectiones si junctim sumantur, possunt reciprocari cum ipsis articulis, qvorum affectiones dicuntur.

Θέσις III. Articuli alii puri sunt, alii mixti. Puri sunt qvi ex sola Revelatione Dei cognoscuntur, & tantùm creduntur. Tales sunt Articulus de Trinitate, Incarnatione, justificatione per fidem &c.

Ἔκθεσις. Hæc distinctio est tantùm æqvivoci in æqvivocata, proveniens ex diversa habitudine articulorum fidei ad principium cognoscendi, Revelat. nimirùm. Qvidam enim illam ita respiciunt, ut cognosci absq; illa prorsus neqveant, qvidam extra Revelationẽ possunt cognosci, non tamen salutariter, adeòq; non sunt, ut priores illi, puræ Revelationis, sed ab alio simul in cognoscendo dependent principio. Ut igitur ex dictis constat, puri sic dicuntur, qvoniã puræ sunt Revelationis sive qvoniã sola Revelatio est unicũ illos cognoscendi principium. Extra Revelationẽ neq; constat, neq; constare cuiqvam possunt obsumã eorũ inevidentiã & sublimitatẽ. Nam proponunt res à Rationis cognitione remotissimas, imò planè tales, qvas sibi relicta Ratio tùm absurdas, tùm impossibiles judicat. Vocantur aliàs isti articuli qvoad actum

ſubſtantiæ ſeu ſecundum Entitatem ſuam ſupernaturales. vid. Dn. D. Muſæi de uſu princip. Rat. l. II. c. X.

§. 2. Hîc non eſt, qvod qvis objiciat in Platonis ſcriptis adumbrata qvædam ſanctiſſimi Myſterij Trinitatis extare veſtigia, Platonicos verò ſeqviorum temporum Philoſophos Gentiles ex Magiſtri ſui ſententia agnoſcere, & diſertè in Deo tres profiteri Hypoſtaſes. Fruſtra, inqvam, hæc nobis objiciuntur. Nam Platonici ſeqviorum temporum philoſophi, ſi qvid ad fidẽ Chriſtianam accedens hac de re tradiderunt, id non tàm ex Magiſtri ſui ſcriptis, qvàm ex Chriſtianorum libris, qvos ab ipſis lectos fuiſſe, multa ſunt indicio, hauſerunt, ſuumq; deinceps fecerunt. Vide inter alios hac de re eleganter, diſſerentem Lucam Holſteniũ, qvi hoc vocat βαρβαρικῆς φιλοσοφίας κλοπὴν, cujus κλοπῆς Philoſophos gentiles convincit in multis. Ipſum Platonem qvod attinet, non dubito dicere, ipſius placita tantum ab orthodoxa fide diſtare, qvantum Cœli arx à terræ gremio. Fac autem ab ipſo tradita cum Chriſtiannorum doctrina concinere, num propterea cenſendus eſt Plato ea vel ex lumine naturæ hauſiſſe, vel à veri Dei notitia deſtitutis Magiſtris accepiſſe? Nonne vero eſt ſimilius, eum hoc dogma, ſi ejus aliqvam habuit notitiam, ut alia, ab Hebræis, qvorum familiaritate & inſtitutione uſus fuiſſe dicitur, accepiſſe? vide ex antiqvitate hac de re prolixius diſſerentẽ Schotanum in Heptaemero. Confer Joh. Adami Oſiandri Exerc. I. de Trinitate ubi tum alios hîc ceſpitantes refellit, tum etiam Mornæum, contendentem priſcos Philoſophos Trinitatem docuiſſe & confeſſos eſſe. Mornæo jungit Hugonem Grotium, qvaſi idem cum ipſo ſenſerit ſcripſerit ve, cum tamen Grotius ſe hoc in negotio à Mornæo alieniſſimum diſertis verbis profiteatur in epiſtola qvadam ad Gerhardum Voſſium, qvæ extat inter Arminianas p. 749. Qvare minus rectè notatum ab ipſo Grotium arbitror; rectiſſimè autem Dionyſius Petavius, Oſiandro citatus, docet, dogmatis illis Platonicis egregiè præludi Arianis, inæqvalitatem Deorum introduci, Marcionitica deliria ſtabiliri. Keckermanni ex Ratione myſterium Trinitatis demonſtrare ſatagentis, rationes examinavit Dn. D. Muſæus peculiari diſp. qvæ eſt annexa tractat. de uſu princip. Rat.

de vita & Scriptis Pythagoræ c. 1.

Θέσις.

Θέσις IV. Mixti ſunt, qvi partim ex Revelatione Divina, partim ex lumine naturæ innoteſcunt, creduntur tamen ſolùm, qvatenus traduntur in SS. Literis. Tales ſunt articulus de Dei exiſtentia, Iuſtitia, ſapientia &c.

Ἔκθεσις. §. 1. Hujus generis articuli differunt, ut ſupra innui, à prioribus qvoad principium cognoſcendi, & hujus reſpectu mixti dicuntur, ab aliis verò ſupernaturales ratione modi ſeu ſecundum modum. Illic principium cognoſcendi eſt ſola Revelatio Divina, ſive lumen Gratiæ, hic & lumen Gratiæ & Naturæ v. g. eſſe Deum unum ſummum, qvo non ſit alius prior, eſſe potentem hujus univerſi conditorem & gubernatorem, boni remuneratorem & mali vindicem, non tantum conſtat ex Revelatione Divina, verùm etiam ex libro Naturæ & Conſcientiæ humano ingeniô poteſt elici, idqvod luculenter evincit illuſtris locus Apoſtoli Rom. 1. 19. *Cognitio Dei manifeſtata eſt ipſis. Deus n. manifeſtavit illis. Qvæ enim inviſibilia ſunt, ut æternitas, potentia, divinitas &c. Cognoſcuntur ex operibus.* Vide præ alijs Ioh. Adam Oſiandri Deum in lumine Naturæ repræſentatum.

§. 2. Sed uti hæc humanâ ſaltem fide creduntur, ita per hanc fidem & notitiam ſolam nemo ad gratiam & gloriam pervenit, cum res naturalis, qvâ talis, neqveat nos perducere ad bonum ſupernaturale. *Alia igitur*, ut præclarè monet B. Hülſemannus, *ratione principij & formæ eſt fides Chriſtianorum, qvâ credunt eſſe Deum, eundemq́ Creatorem cœli & terræ*, Brev. Theol. c. II. §. 3. & in ſuppl. §. 3 dicit: *Unitas Eſſentiæ Divinæ, qvam credunt & colunt Chriſtiani, non eſt illa transcendentalis & eminens unitas Entis ſupremi per naturalem hominis corrupti diſcurſum inveſtigabilis: hæc enim non poteſt generare fidem divinam & Salvificam; ſed eſt planè ſingularis, & ex Sola Revelatione divina cognoſcibilis* Ioh. 1. v. 18. *Solus Filius, qvi eſt in ſinu Patris, revelavit nobis qvis & qvalis ſit Deus. Deum enim nemo vidit unqvam.* Atq; hoc eſt, qvod ſupra dixi, hujus generis Articulos ſolum CREDI, FIDE ſcilicet divina & ſalvifica, QVATENUS traduntur in ſacris literis. Inſignem igitur nobis faciunt injuriam, qvi ob hanc diſtinctionem nobis non verentur impingere Pelagianiſmum, qvaſi ſtatuamus, naturalibus viribus in ſpiritualibus aliqvid ſalutariter cognoſci. Nam ab hac

 opinione

opinione longè nostros abesse Theologos, hâc distinctione utentes, satis arguunt qvæ ex ipsorum mente hic consignavi. Vid. Dn. D. Calovij Tom I. System. Theol. c. 5. sect. 2. q. XI.

§. 3. Haud dubiè verò insigniter errant, qvi duas fidei salvificæ species statuunt, alteram in Dei Creatoris, qvatenus ex lumine naturæ cognosci potest, misericordiam, destitutam cognitione Redemptoris Christi; alteram in misericordiam Dei manifestatam in Christo. Nec qvicqvam præsidii reperiunt in vers. 6. c. XI. epist. ad Hebræos, ubi Apostolus scribit, *Ei, qvi ad DEum volet accedere, ante omnia esse credendum, non tantùm,* (qvod Ethnici saniores sciebant,) *DEum esse, sed summum hominis bonum esse, adeoq; qværendum, & qværentibus porrò remuneratorem fore, si non in hoc, certè in futuro seculo.* Hic, inqvam, locus, qvi ferè ipsorum est Achilles, nihil ipsos juvat. Nam qvæ Apostolus scire vult accessurum ad DEum, sciri non possunt ad salutem, nisi hâc fide, qvæ est Christi. Hæc enim sola præbet testimonium in corde fidelium certæ atq; immotæ unicuiq; veritatis, atq; adeò ὑπόστασιν non tàm dat rebus speratis, & invisibilibus præmiis, qvàm ipsa est eorum, qvæ expectamus ὑπόστασις & fundamentum. Sed testimonium illud extra Christum non datur, nec inde à condito orbe ulli datũ extra Christum fuit Act. IV. 12. c. XV. 11. Imò ipsa mundi architectura efficaciter sciri crediq; non potest, nisi fide Christi, qvæ intelligit sola bonitatem virtutemq; tanti factoris. vid. Josuæ Arndii tractatum de una fide sect. IV. §. 9. p. 64. Et adi Samuelem Maresium, qvi accuratè & solidè refellit Sociniano-Remonstrantem Curcellatum, duplicem statuentem fidem, alteram in Deum Creatorem, extra Christum, alteram in Christum mediatorem. Idem Maresius testatur Mosem, Amyraldum (qvem huic errori etiam fuisse affinem satis arguunt qvæ in medium affert Domin⁹ Hülsemannus de indebita & universal. convers. gratia disp. II. c. I. θ. 4. Conferatur Riveti Synopsis de Natura & GRAT. c. VI.) opinionem istam missam fecisse ac revocasse, accedente Synodorum Nationalium Galliæ, nominatim Synodi Alenconiensis posteà primum Carentone, deinde longe accuratiùs Julioduni confirmato decreto, in refutat. dissertat. tertiæ Curcell. Sect. I. §. 2.

23

Θέσις V. Articulorum fidei alii sunt Fundamentales alii non fundamentales. Fundamentales sunt partes primariæ doctrinæ cœlestis in Scriptura S. perspicuè propositæ. & creditu ita necessariæ, ut illis ignoratis vel negatis salus æterna obtineri neqveat.

Ἔκθεσις §. 1. Fundamentales sic dicuntur à fundamento qvæ vox artis architectonicæ propria non incommodè transfertur ad res fidei, scripturâ ipsâ nobis præeunte, & Ecclesiam comparante *domui* 1. Tim. III. 16. *civitati* Ephes. II. 20. Heb. XIII. 22. *templo* 1. Cor. XIII. 16. 2. Thess. II. 4. Certè ut civitas, templum, domus absq; fundamento non consistunt, similiter neq; Ecclesia cujus fundamenta describuntur, & ipsa perhibetur fundara Psal. LXXVII 11. *super petram* Es. XXVIII. 16 Matth. VII. 25. Act. IV. 11. 1. Petr. II. 7. *& lapidem angularem* Ephes. II. 20. suo fundamento carere non potest.

§. 2. Est autem verum fundamentum Ecclesiæ Christus Jesus θεάνθρωπος, Mediator Dei & hominum unicus, Ephes. II. 20. 1. Cor. III. 10. 11. considerandus hoc in negotio non solùm juxta Theologiam, id est, ratione essentiæ & personæ suæ in se una cum reliqvis personis Divinis Patre & Spiritu S. qvod fundamentum fidei qvidam vocare solent Hypostaticum seu personale, sed etiam spectandus juxta οἰκονομίαν suam, id est, qvoad officium & beneficia, qvæ ille nobis in salutem nostram acqvisivit & comparavit, de qvibus qvia docemur ad vitæ æternæ consecutionem, inde dogmata de illis Christi beneficiis, vocari solent ab aliis fundamentum fidei dogmaticum, qvod fundamentum speciatim hæc constituunt & absolvunt dogmata: Messias est una persona θεάνθρωπος ex misericordissimo patris affectu singulis hominibus lapsis donatus, inter illos & justitiam divinam offensam per suimet ad obedientiam activam æqvè ac passivam cruentam victimationem, Mediator, à qvo Redemptio, meritum salutis, remissio peccatorum, justitia imputata, resurrectio in novissimo die fide pœnitentis amplectenda, deniq; vitæ æternæ hæreditas. Hæc est omnium seculorum, omnium fidelium fides, inqvit Dn. Danhauer in Sigal. p. 202. Qvia verò isthæc beneficia ad salutem æternam nobis offeruntur,

runtur, exhibentur, & verâ fide applicanda conferuntur per certa organa ſeu inſtrumenta, ſcil. per verbũ Dei in Scriptura nobis exaratum, per Baptiſmum itidem & S. Euchariſtiam. Inde Chriſtꝰ etiã ut fundamentũ ſalutis æternæ in organis illis divinitùs ordinatis eſt conſiderandus. Qvæ proinde ab aliis vocantur fundamentum organicum ſeu Inſtrumentale. Breviter, verba ſunt Dn. D. Haberkornii, à qvo multa hac in materia mutuò ſumpſimꝰ, Chriſtꝰ eſt fundamentũ ſalutis ὑποστατικῶς, οἰκονομικῶς καὶ ὀργανικῶς ſpectatus. Ut ita unum idemq; ſit: Chriſtus taliter conſideratus eſt fundamentum ſalutis; Et articuli ſeu dogmata taliter Chriſtum nobis proponentia, ſunt Articuli fundamentales, ſeu dogmata ſalutifera, & ſic ad ſalutem neceſſaria. Nec enim Chriſtus fundamentum ſalutis eſt ἁπλῶς κατ' ἔσω tantùm ſumptus, abſolutè & ſimpliciter, qvalis in ſe eſt, ſed etiam σχετικῶς & κατ' ἔξω, qvalis nobis in officio ſuo σωστικῷ per verbum & Sacramenta Relativè proponitur, & docetur ad conſeqvendam ſalutem æternam. Conſtat hoc ipſum ex eo, qvod Chriſtus vocetur fundamentum Eccleſiæ, in qvantum eſt fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ceu prudentium Architectorum, qvi & voce & ſcriptis de eo primum teſtati fuerunt 1. Cor. III. 10. Epheſ. II. 19. idq; in oppoſitione ad architectos illos, Phariſæos ſcil. & Scribas, qvi hoc fundamentum rejecerunt Pſalm. CXVIII. 22. Jam verò fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum alio reſpectu non dicitur, niſi quia illi publico ſuo præcõio & teſtimonio Θεοπνεύστῳ καὶ ἀνυπευθύνῳ hoc fundamentum, Chriſtum ſcil. cum omnibꝰ ſuis beneficiis docuerunt & orbi propoſuerũt.

§. 3. Ut hactenus dicta in unam ſumãm contraham, dico à fundamento Chriſto appellari articulos fundamentales omnes ac ſingulas doctrinas, qvæ ad hoc in ſpecie ſũt neceſſaria, ut homo illorũ cognitione receptione & fiduciali apprehenſione Chriſto Ieſu ſalvatori ſuo verè adhæreat atq; ex eo beneficiorũ illius & υἱο-θεσίας particeps reddatur Ioh. xv. v. 3. 4. Neq; hic eſt cogitandum, per fundamentum ab Apoſtolis intelligi ſolum dogma unum & alterum generale de Chriſto; ſed certò ſtatuendum per fundamẽtùm Eccleſiæ ſuppoſitũ intelligi omnia dogmata de Chriſto ad ſalutem æternam hominem deducentia. Alia enim de cauſa Chri-

ſtus

ſtus fundamentum non eſt, nec appellatur, niſi qvia ipſe unicè eſt fundamentum, cui ſalus noſtra innititur tàm ratione acqviſitionis, qvàm etiam oblationis, qvin & ratione applicationis ſeu actualis collationis Act. IV. 12. Ratio itaq; formalis ſeu definitiva articuli fundamentalis eſt neceſſariò ad fundamentum Chriſtum pertinere, ita ut hoc ſine illo inconcuſſum retineri, & homo ſalutem æternam conſeqvi neqveat. Ac uti per hoc in eſſe ſuo ſpecifico ac formali conſtituuntur Articuli fundamentales, ita ab alijs revelatis qvidem, ſed non fundamentalibus doctrinis diſcernuntur. Certum eſt enim non omnia in Scriptura S. revelata, eſſe æqvè ſcitu neceſſaria & fundamentalia, ſed qvædam credenda ſunt, non qvia ad ſalutem neceſſaria, Sed qvia à Spiritu S. revelata ſunt, qvæ tamen protervè negare aut impugnare ſaluti æternæ noxium, at eadem credere, ad illam non neceſſarium eſt. Qvædam autem ideò revelata ſunt, qvia ſunt ſcitu neceſſaria, & ſine eorum cognitione ſalus obtineri neqvit, ita, ut illa non credere duplici de cauſa damnationem afferat (α) qvia ſunt cauſa & media neceſſaria ad ſalutem (β) qvia impugnatio eorum eſt exitialis, ut loqvitur Dn. D. Haberkornius disp. VI. Anti-Valer. q. 2. Qvod ceu cordatè dictum laudat Calviniſta Curtius in de artic. fund. ſect. 3. §. 2.

§ 4. Hanc Credendorum differentiam & ipſi expreſſimus in definit. Articuli fundamentalis dicentes: Eſſe partes primarias: His verbis innuere volo non omnia credenda eſſe ejusdem ordinis ac dignitatis, ſed quædam primò ac per ſe, qvædam conſeqventer ac propter aliud eſſe credenda. Imprimis verò hîc notandum, eos articulos qvi fundamentum fidei dogmaticum conſtituunt, diſcrepare ab alijs qvoad neceſſitatem credendi inæqvalem. Hinc à nonnullis vocantur κατ᾽ ἐξοχὴν fundamentales eò qvod illos qvemlibet ſalutis cupidum abſolutè & ſimpliciter ſcire oporteat, cum eorum ignorantia ſimpliciter damnet, qvâ de re inferiùs plura. Cum dixi partes illas primarias in Scripturis clarè propoſitas non hoc volo, qvaſi Scriptura S. in ſingulis locis, qvibus neceſſarij fidei articuli proponuntur, ſeorſim ſumptis, ſit tàm clara, ut qvilibet, qvomodocunq; ſe habens per ſeipſum poſſit ſtatim certiſſimè verum ſenſum vel ſuperficiariâ inſpectione

colligere, qvam opinionem nobis affingunt Pontificij: sed mea mens est, singulos articulos fidei necessarios ad salutem, sive qvod idem est, singulos articulos fundamentales præprimis verò κατ' ἐξοχὴν sic dictos, hoc est, omnibus omni tempore necessarios, à qvovis, qvi ordinem divinum observat, non ex singulis locis, sed ex tota Scriptura, ad invicem debito modô collata certissimè cognosci ac colligi posse. Hoc inqvā volo, persvasus ideò Scripturam S. diei lucernam pedibus nostris ψ. 119. 105. & lucernam lucentem in loco caliginoso II. Pet. I. 19. Cum addidi, doctrinas esse creditu ita necessarias, ut illis ignoratis vel negatis fundamẽtum salvum retineri, adeoq; salus æterna obtineri neqveat, exprimere volui (1) rationem artic. fundam. formalem de qva supra §. 3. (2) Finem qvi est salus æterna Ioh. xx. 31. (3) affectionem propriam, qvæ uti à ratione formali emanat, ita cum ea ferè coincidit, estq; nihil aliud, qvàm necessitas & proportio ad fidem, qvatenus salvifica ea est, & dependentem inde salutem, uti loqvitur B. König in Theol. posit. p. I. c. 3. §. 145. Cum dixi disjunctivè ignoratis vel negatis, subinnui etiam inter credenda fundamentalia dari discrimen aliqvod, aliaq; ad salutem esse simpliciter scitu & creditu necessaria, alia posse ignorari, sed nullô modò negari.

§. 5. Hinc liqvet, quid ad articulum fundamentalem constituendum, & ab aliis non fundamentalibus discernendum reqviratur. B. Dn9. Meisnerus in consideratione Theolog. Photinianæ p. 287 & alij Theologi orthodoxi paulò alia reqvisita articulorum fundamentaliū allegant, qvæ in eo tantum à nostris discrepant, qvod alijs verbis, & diductiùs sint proposita. Adde, qvod illi etiam ad praxim respiciant, qvod licet ipse non fecerim, tamen valde probo, cū Theologia nostra sit practica. Aliâs, qvoad ipsam rei substantiam inter illos & nos nullus est dissensus.

§. 6. Marcus Antonius de Dominis, nobilis vertumnus, ad fundamentales articulos ingenere reqvirit, ut vel in Scripturis per se sint clarissimi, vel ab Apostolis fuerint declarati, ita, ut declarationes istæ fuerint Ecclesiæ primitivæ traditæ & consignatæ. Qvæ ergò dogmata neutrum habent κριτήριον, hoc est, qvæ nec per se in Scripturis clarissima, nec ab Apostolis talem in modum declarata

declarata ſunt, ea in fundamentalibus fidei non habet. Verùm qvàm lubricus ſit in hoc negotio præclarè oſtendit vir Eximius Dn. D. Muſæus diſp. 2. de Eccleſia §. 126. ubi qvoad prius reqviſitum Marcum deducit ad abſurdum, qvod meâ qvidem ſententiâ inde fit, qvoniam per dogma clariſſimum intelligit dogma non diſputabile. Vide hîc Dn. Danhauerum ſyncretiſmi detecti ſect. 2. §. 20. Qvoad alterum κριτήριον, ubi Marcus tanqvam certum præſupponit, Scripturam S. eſſe in aliqvibus creditu ad ſalutem neceſſariis obſcuram, ut de ejus certo & indubitato ſenſu aliunde conſtare non poſſit, qvàm ex delaratione Apoſtolica, notat primò hominis inconſtantiam, qvi alibi dixerit ex neceſſariis ad ſalutem fidei dogmatibus nullum eſſe, qvod in ſcripturis, qvas habemus, etiam clarè & dilucidè non contineatur; deinde ejus opinionem prolixè examinat & ſolidè refutat à §. 152. usq; ad 157

§. 7. Gisbertus Vöetius, celebris ille Profeſſor Theologus Ultraject. T. II. diſput. ſel. de artic. fund. p. 532. methodum, qvâ inveſtigari debeant theſes fundamentales ſeu neceſſariæ, neceſſitate ſcil. medii, ſive ad communionem Eccleſiaſticam, ſive ad ſalutarem praxin fidei aut reſipiſcentiæ, & conſeqventer ad ſalutem obtinendam hanc præſcribit: *Primo omnes tituli & ſubtituli per totam Catecheſin & locos communes colligantur. e. g. de Deo, de attributis & operibus ejus, de Trinitate, de hominis lapſu, corruptione &c. Secundò ſingulorum attributa ſeu prædicata in Scriptura conqvirantur: ut videatur annon illis attributis cum ſubjectis ſuis in enunciationes ſeu theſes conjunctis modus qvis in ſcripturis addatur ſive* κατὰ τὸ ῥητὸν, *ſive* κατὰ διάνοιαν, *ſive* κατὰ ἄρσιν, *ſive* κατὰ θέσιν; *unde certò conſtare poſſit, talem aſſertionem eſſe neceſſariam. Sunt autem modi illi, qvi ſe habent inſtar prædicatorum in ordine ad dictum, h. e. ad fidei aut contradictorium ejus, duûm generum; alii enim directè prædicantur de ipſo articulo; alii verò directè de articuli illius oppoſito errore, & ſic indirectè ac per conſeqventiã. Prioris exemplum eſt Joh. XVII. 3. Hæc eſt vita æterna &c. 1. Tim. III. 16. Myſterium magnum pietatis. &c. 1. Joh. IV. 2. Omnis Spirtus qvi confitetur Chriſtum veniſſe in carnem ex Deo eſt. Poſterioris exemplum eſt 1. Joh. II. 22. ubi mendax eſſe dicitur & Anti-Chriſtus qvi negat Jeſum eſſe Chriſtum, & qvi negat Patrẽ ac Filiũ. vid. l. c. plura non inutiliter circà præſens negotiũ obſervata.*

§. 8. Anteqvam hinc abeam notandi mihi adhuc ſunt qvidam ὀρθοδοξίας prævaricatores, aſſerentes, hunc tantùm eſſe articulum fundamentalem, qvi ad ſalutem cognitu ſimpliciter eſt neceſſarius, ſive qvem nemo ſalvandorum poteſt ignorare. Sic cum plerisq; Calviniſtis συγκρητίζοντες definiunt. qvam definitionem vitioſam eſſe cum luculenter probet B. Hülſemannns in Calv. irreconciabili, p. 137 non pigrabor illius verba, qvāvis pluscula adſcribere, qvòd liber, in qvo continentur, non ſit ubivis obvius. Sic a. ille *primò* inqvit, *latius patet fundamentum fidei, qvàm capacitas intellectus in qvovis ſalvando ruſtico aut rudi ancilla. Ratio hæc eſt: qvia plebejorum fidelium intellectus apprehendit plerumq; ſola principiata, nec aſcendit cogitatione ad conſiderandam qvalitatem principiorum, donec tentatio vel dubitatio urgeat. Qvomodo mechanicos & menſores agrorum videmus uti inſtrumentis Mathematicorum, applicare etiam concluſiones ac poriſmata artis, cùm principia tamen neſciant; ita vix centeſimus inter Chriſtianos aſcendit ad documenta* θεοπνευστίας *Sacrorum Bibliorum indoganda & poteſt ignorare illa argumenta, ex qvibus conſtat: Hunc librum eſſe verbum Dei, donec mota fuerit dubitatio de* θεοπνευστία *dogmatum hoc libro contentorum. Secundò. Fundamentum fidei conſtat ex intrinſeca & naturali cohæſione ac dependentia dogmatū ab invicē, iuxta naturam Syſtematis, abſtractis concipiendi modis, qvi variant in ſubjectis credentibꝰ, ſive hæc intelligant connexionis modū, ſive non intelligant. Ideò appellatur fundamentū Prophetarū & Apoſtolarū, hærens in imô angulari lapide Chriſto. Non fundamentū, qvod ſibi qvisq; fingit. Atq; inde fit, ut evertant fidei fundamentum etiam illi, qvi non ſolùm neſciunt ſe evertere, ſed penitus (etſi falsò) perſvaſi ſunt, qvod non evertant. Veluti perſpicuum eſt in Galatis, circumciſionem correqvirentibus ad baptiſmum & profeſſionem Chriſtianæ fidei. Qvibus utiq; tantâ aſſeveratione non juraturus erat Apoſtolus, qvod hac ratione gratiam Chriſti perdant & annullent, ſi jam ante cognoviſſent, hoc incommodum ex neceſſaria circumciſionis reqviſitione ſeqvi Gal. V. 3.* Hæc l. c. Hülſemannus, cujus verbis rem tanti momenti proponere malui qvàm meis, qvod credam exuvias mortui leonis beſtiis agri, vulpibusq; Samſonicis futuras terribiliores, qvàm vocem Galli canentis. vid. omninò l. c.

§. 9. Hactenus de articulis fidei in actu ſignato, ut loqvuntur;

tur; ſeqvetur jam actus exercitus in forma Symboli, in qvo adornando, ne à ſcopo abludam, ad fundamentum ſalutis noſtræ Jeſum Chriſtum, veluti ad lucidam pharon, perpetuò reſpiciam, & ad illum omnia referam, ita, ut ea tantum pro dogmatis fundamentalibus habeam, qvæ cum angulari hoc lapide tàm arctè connexa deprehendero, ut iis ignoratis vel negatis, neqveamus, ut decet, fundamento ſuperſtrui per fidem ad vitam æternam. Nam qvæ dogmata ita ſeſe habent, non poſſunt non eſſe fundamentalia. Hinc pateſcit, qvo ſenſu nonnulli ſolum articulum de Chriſto dicant fundamentalem, nempe conſideratum non præciſè, qvatenus continet unum aut alterum dogma generale de Chriſto; ſed qvatenus eſt baſis, ſuſtinens totam fidei ſtructuram ſeu dogmatum fundamentalium compagem; qvatenus eſt oceanus, in qvem omnia dogmata ſalvifica confluunt, uti ſingula ex eo emanant. Qvamvis igitur in Scriptura unius ſolùm fundamenti Chriſti fiat mentio, id tamen non obſtat, qvo minus plura ſint fundamentalia fidei noſtræ dogmata. Nam hoc non excluſivè & ſolitariè eſt intelligendum, verùm unà cum omnibus annexis ad ſalutem noſtram pertinentibus, & ſine qvibus homo ſalvari neqvit. Et hoc ſenſu accipiendus eſt notus ille verſiculus: ſi Chriſtum bene ſcis, ſatis eſt &c vid. Dn. Haberkorn. de Syncret. p. 378. Jam meum accipe Symbolum.

Ego A *originariô vitiô penitus corruptus, adeoq; extremè miſer* B *cognitâ corruptione & miſeria mea ex verbo* Θεοπνεύςῳ, *infallibili atq; omnimodè perfecto, præcipuè verò* C *ex verbo legis, habens ob oculos* D *animæ immortalitatem* E *reſurrectionem Carnis,* F *extremum judiciũ,* G *Vitã &* H *mortẽ æternã,* I *credo, non ex* K *propriis rationis meæ viribus, ſed ex* L *gratiæ divinæ dono in* M *Jeſum Chriſtum* Θεάνθρωπον, *hoc eſt Salvatorem, hinc* N *verum & unum ratione eſſentiæ DEum cum Patre,* O *cujus filius unigenitus eſt, &* P *Spiritu S.* Q *creatorem cœli & terræ* R *omnipotentem,* S *omniſcium,* T *omnipræſentem,* V *Sanctum,* X *Iuſtum,* Y *Veracem,* Z *Æternum* AA *miſericordem voluntate antecedanea erga omnes, ſed* BB *voluntate conſeqvente finaliter in ſe credituros ad hæreditatem cœleſtem prædeſtinantem, illinc* CC *verum hominem,* DD *conceptum ſine virili opera à Spiritu S.* EE *natum ex Maria virgine,* FF *nobis excepto*

peccato penitus factum ſimilem, GG *Salvatorem unum,* HH *adeoq; etiam ſecundùm humanam naturam omnipræſentem*, II *omnipotentem,* KK *omniſcium,* LL *Judicem omnium,* MM *verè & propriè adorandum,* NN *Saluatorem univerſalem, ratione intentionis, meriti & acqviſitionis,* OO *per obedientiam legis impletricem & juſtitiæ divinæ conſentaneam proprii ſangvinis effuſam* λύτρωσιν, *adeoq; ſacerdotem;* PP *Salutis accqviſitæ præconem univerſalem, adeoq; Prophetam.* QQ *Salutis prædicatæ collatorem, adeoq; Regem,* RR *Dominum noſtrum ſpeciatim jure Redemptionis,* SS *verè paſſum,* TT *crucifixum,* VV *mortuum verè,* XX *morte pro omnibus omnium hominum peccatis perfectè expiatoria,* YY *Sepultum,* ZZ *deſcenſu reali ac triumphatoriô ingreſſum inferna,* (a) *tertia die reſtitutum vitæ propria virtute,* (b) *Sublatum viſibiliter & motu verè locali ad cœlos,* (c) *Sedentem ad dextram Majeſtatis & virtutis divinæ,* (d) *venturum olim judicare vivos & mortuos,* (e) *intercedentẽ interim apud Patrem, &* (f) *mittentem cum patre Spiritum S. perſonam ab utroq; diſtinctam & ab utroq; procedentem, ut* (g) *redemptos vocet* (h) *vocatos convertat per pœnitentiam* (i) *& regeneret per Baptiſmum,* (k) *& juſtificet cum Patre & Filio per fidem,* (l) *juſtificatos renovet ad bona opera,* (m) *confirmet & conſervet per Sacram Cœnam, & hoc modo* (n) *interventu miniſterii Eccleſiaſtici colligat Eccleſiam* (o) *Unam, Sanctam, Catholicam,* (p) *qvam qvi matrem habet in his terris, DEum patrem habebit in cœlis.*

§. 10. Hôc Symbolo contineri arbitror omnes articulos fundamentales, qvorum nonnullos ſi aliqvi Theologorum orthodoxorũ è chorea articulorum fidei exemerunt, articuli vocem de parte fidei principali, ipſoq; fundamento accepiſſe videntur, dicam cum Dn. Danhauero ſtyl. vind. proceſſ. Spirir. S. p. 279. Id qvod probè obſervandum propter cl[a]mores adverſariorum, criminantium, maximum inter Lutheranos circa articulos fidei eſſe diſſenſum, hoc plures, illô pauciores res recenſente; eſſe nos maximè incertos de articulis fundamentalibus, qvod ſane eſt falſiſſimum. Nam ſi ſpectemus rem ipſam, inter ſe amicè conveniunt conſpirantq; Theologi γνησιώς Lutherani, expertes ſtudiorum ac paſſionum Syncretiſticarum, habentes id pro fundamentali dogmate, qvo ignorato vel negato fundamentum concutitur

cutitur

31

cutur ac destruitur, adeoq; salus æterna obtineri neqvit. Si verò spectes modum rem considerandi ac tractandi, aliqvid occurrit discrepantiæ, hoc articulos fundamentales magis explicitè ac diductè, illo eosdem concisius, omissis minus principalibus, recensente. Nec tamen is, qvi pauciores enumerat, proptereà præfractè negat dari præter hos plures articulos fundamentales. Dissensus igitur, qvem adversarii, ex musca elephantem facientes, clamant capitalem ac maximum, admodum est exiguus. Repetatur hic qvod dixi §. 9. de articulo de Christo, qvem articulum solum nonnulli faciunt fundamentalem.

§. 11. Dixi autem §. præced. notanter Theologos γνησίως Lutheranos hoc in negotio amicè inter se conspirare. Nam nonnulli novaturientes pseudo-Lutherani Theologi, veluti novi anatomici articulos Christianæ Religionis deartuant, à credẽdorũ ad salutem corpore resecant, negantq; sententias inter nos & adversarios controversas esse articulos fidei, ut tres magnas Religiones nostram, Papisticam & Calvinisticam componant ac in unam cõsarcinent. Hoc scilicet est cornicum oculos configere, hoc terminos, à pijs majoribus prudentissimè constitutos, temerè movere, hoc in sectas, sectarumq; sectiunculas discerpere Religionẽ Lutheranam, eamq; deridendam propinare adversarijs ut sibi parum constantem exiguoq; intervallo à falsitate distantẽ. Vid. Dn. Danhauerum in Sigalione p. 182. seqq. in dedicat. styli vindicis, ac in ipso tractatu p. 278.

§. 12. Sed Si qvidem suas sibi res habeant; revertor ad cõmunes adversarios, Papistas, postulantes ut edamus Catalogum articulorum necessariorum, qvod postulatum subinde repetunt, ac præprimis urgent VValenburchij vid. Somnia Danhaueri §. I. n. 4. Verum qvoties dederunt nostrates, cum totam Catechesin dederunt, ipsorum adversariorum judiciô complectentem articulos necessarios? de qva Formulæ Concordiæ judicium in proœmio sic habet: p. 571. Confer p. 634. *Qvia hæc Religonis causa etiam ad Laicos, qvos vocant, spectat eorumq; perpetua salus agitur; profitemur publicè, nos etiam amplecti minorem & majorem D. Lutheri Catechismos, ut in tomis Lutheri sunt inserti, qvòd eos qvasi Laicorum Biblia esse censeamus, in qvibus omnia illa breviter comprehenduntur*

duntur, qvæ in S. Scriptura fusius tractantur, & qvorum cognitio homini Christiano ad salutem æternam est necessaria. Vid. omninò Dn. D. Haberkornij, cujus magna laus est in Evangelio, disp. VI Anti-Valeri. in qva methodô simplici ac plana ex Catechismo nostro articulorum fundamentalium systema seu compagem delineavit, qvam delineationem VValenburchij nullius falsitatis accusare, nedũ convincere audent, contenti in scripto qvodam contrà Haberkornium excepisse: *Se nescire eam esse Ecclesiæ Lutheranæ sententiam,* Sed Dn9 Haberkornius disp. 3 Anti-VValenburch. §. 50, etiam hanc rimam & hôc modô ipsis adversarijs os obstruxit. Cum Haberkornio ex asse consentit Dn. Danhauerus contrà onirocrit. Batav. p. 116. Dn. Musæus paulò aliter respondet disp. IX. de convers. c. IV. § 77. seqq.

§. 13. His ita præmissis ostendam singula, qvæ symbolum meum continet dogmata, esse in scripturis revelata. Etsi autem revelatum esse in Scriptura non sit speciale & proprium articulorum fundamentalium, sed commune omnibus in ea contentis historijs, vaticinijs, aliisq; dogmatibus, non potest tamen aliqvis articulus fidei pro fundamentali urgeri, nisi prius constet atq; evictum sit, illum esse verum, atq; à Deo revelatum. Istud igitur etsi non constituat articulum fundamentalem in esse specifico, constituit tamen eundẽ in esse generico, & hoc nomine reqviritur. Facerem autem statim, qvod facere constitui, nisi hîc iterum aliqvid turbarent, mihiq; remoram suis sophisticationibus injicerent VValenburchij, qvi cùm rectè dixissent: *Ut sit verus aliqvis articulus, id est, verè à Deo revelatus, sufficit ut contineatur in Biblijs* (ego dicerem in scriptura Canonica) *si autem probandus erit articulus sub ratione veri, oportet ut verba scripturæ S. necessariò id importenti qvod dicit articulus probandus;* Addunt: *At verò sacræ scripturæ verba non censebuntur id necessariò importare, qvoties eadem verba similiter in sacris scripturis posita aliter accipiuntur, & qvotiescunq; ratio probabilis in contrarium adferri potest.*

§. 14. Hoc assumentum est ex hæretica Socinianorũ schola petitum, & longè absurdissimum, imò ipsi VValenburchiorũ causæ internecinum, ut benè advertit Dn9 D. Titius qvi hoc ipsum sic ostendit. Notum est, inqvit, summum & præcipuum Papista-

Papiſtarum articulum eſſe de infallibilitate ſuæ Eccleſiæ. Cui tamen ex ſcripturis fidem facere conantur. Unde ipſi VValenburgij Motivo ſecundo c. XXVII non procul ab initio; *hoc docemus*, ajunt & profitemur, *de Eccleſia prædictũ eſſe, & Eccleſiæ in Scripturis promiſſũ eſſe ut non erret in rebus fidei* aq; eas promisſiones dicunt adeò eſſe evidentes, ut eas Proteſtantes negare non posſint. Etſi autẽ libenter fateamur Proteſtantes, qvòd, ſicut de Romanæ Eccleſiæ infallibilitate nullæ prorſus, ita de Eccleſiæ univerſalis certæ ab erroribus immunitate promisſiones in Scripturis exſtent; hoc tamen tantisper ſepoſitô, petimus ut Walenburchii nobis oſtendant, ſenſum promisſionum illarum neceſſariò id importare, qvod ipſi volunt. Non enim, ut ante nobis dictitabant, *verba promiſſionum illarum cenſebuntur id neceſſariò importare, qvotiescunq; eadem verba in Sacra Scriptura ſimiliter poſita aliter accipiantur, & qvotiescunq; ratio probabilis in contrarium afferri poteſt.* Nunqvam profectò iſtoc pactô Walenb. ſaltem ſub ratione veri probabunt ſuum articulum de infallibilitate Eccleſiæ. Eidem difficultati implicabuntur, ſive è Conciliis, ſive è Patribus, ſive è qvocunq; tandem ſcripti genere aliqvid pro ſeſe afferre conabuntur. Tám verùm eſt proverbium; turdus ſibi ipſi cacat exitium. Hæc Dn. Titius c V animadverſ. in primum & ſecundum motiva Wal.

§. 15. Non eſt igitur qvod valde his & ſimilibus adverſariorum argutiis moveamur, qvin potius certò ſtatuamus nos aprehendiſſe verum ſenſum hujus vel illius dicti Biblici, ſive nos tenere id, qvod neceſſariò important verba S. Scripturæ, ut loqvuntur Walenb. cum interpretatio noſtra convenit cum naturali ſignificatu talium verborum, hôc ordine, hâc occaſione, hôc ſcopô, hôc idiomate prolatorum. Hoc præſtructo, ibo per ſingula Symbolo, ſuprà poſito, comprehenſa dogmata, eorumq; ſenſum determinatum, & in noſtris receptum Eccleſiis juxta literas appoſitas explicabo atq; adſtruam ex S. Scriptura, adeoq; illos probabo ſub ratione veri, paulò poſt eosdem probaturus ſub ratione neceſſarii.

A. Peccatum originis eſſe profundisſimã ac teterrimam naturæ corruptionem, veriq; nominis peccatum qvod mortem interat, niſi interveniat regeneratio, manifeſtè oſtendit Scriptura,

in qvâ ipſum qvidem nomen peccati originalis non extat, extat tamen res ipſa. Sc ipſe Salvator dicit Joh. III, 6. *Qvod ex carne natum caro eſt*, id eſt, qvi ex homine peccatis infecto natus eſt, earundem ſordium eſt particeps 1. Cor. XV. 50. exhæres regni ac ideò regenerationis indigus, ſit licet à regenito natus. Etenim, ut pater doctus filium indoctum, ita regenitus irregenitum generat. Geneſ. VI. 5. *Omne figmentum cordis humani tantùm malum eſt à pueritia*, ubi eſt (1) τὸ καθολικὸν Subjecti omnis carnis (2) actûs omne figmentũ, (2) temporis, à pueritia omni die. Illuſtris hanc in rem eſt locus Apoſtol. Epheſ. II. 3. *Natura ſumus filii iræ*, id eſt, naturali propagatione obnoxii ſumus iræ divinæ, & conſeqventer damnationi. Hoc ipſum Regius Propheta cum intelligeret, in vera pœnitentia etiam peccati originalis ſordes deploravit Pſalm. LI, 7. ubi non de parentum, ut nonnulli volunt, ſed de ſuo peccato agere Davidem probatur tùm ab ipſius ſcopo, qvi erat propriam culpam confiteri, tùm à modo concludendi, implorabat ſiqvidem miſericordiam Dei, & petebat veniam peccati. Inepta a. fuiſſet conſeqventia, ſi ita concludere voluiſſet: Parentes peccaverunt in mea generatione. Ego autem ex illis peccatum non traxi. E. adulterium & homicidium remittas mihi. Confer Aphoriſmum Apoſtol. Rom. V. 12. vid. Auguſt. Confeſ. Art. 2. Apolog. in l. Conc. p. 50. Artic. Smalcal. p. 317. Epitom. p. 572. Declarat. 639. *Errant hic Pelagiani Zontes Papiſtæ, uti etiam Calviniſtæ nonnulli peccatum orignis nimium qvantum extenuantes.*

B. Scilicet Scriptura ſola (oppoſita, ut jam ſuperius monui, verbo tradito, humano, lumini naturali, non item ſuo famulitio, organis, ſubſidiis lingvarum & artium inſtrumentalium) eſt principium cognoſcendi & probandi omnia ad ſalutem creditu neceſſaria. Egregiè hoc oſtendit Apoſtolus 2. Tim. III. 15. 16. Hanc verò dignitatem, hanc potentiam & autoritatem ſcriptura habet ab autore primario Deo, fallere & falli neſcio, *Nec enim autoritate humana allata eſt aliqvando Prophetia, ſed inſpirati à Spiritu S. locuti ſunt Sancti Dei homines*, adeoq; in ipſo ſcribẽdi actu ob divinam, eamq; immediatam ἔλλαμψιν errare prorſus neſcii 2. Pet. I. 21. Præterqvam igitur qvod propter divinitatem

&

& infallibilitatem suam fidem meretur λόγος πιςὸς καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος 1. Tim. I. 15. de consilio etiam & ordinatione Dei obligat homines ad fidem & ad obedientiam juxta illud: Qvi non audierit verba, qvæ loqvetur in nomine meo, ego reqviram ab eo Deut. XVIII. 19. Confer Esa. VIII. 20. & Joh. V. 39. ubi Salvator noster auditoribus suis scrutinium Script. præcipit. Ostendit enim non qvid faciant, sed qvid facere debeant. vid. lib. Concordiæ p. 570. 572. 632. *Errant hic Papistæ Scripturam S. accusantes alicujus imperfectionis, qvam suppleri oporteat per traditiones, pari pietatis affectu suscipiendas, pariq; habendas loco cum Scriptura Θεοπνεύςω*

C. Verbum salvificum communiter dividitur in Legem & Evangelium, qvorum utrumq; ex intentione Dei & natura indita facit ad conversioem hominis salutarem, qvanqvam diversimodè. Lex, nimirum moralis, justam & accuratam secundùm voluntatem Dei vivendi normam præscribit, adhibitis promissis vitæ præsentis & futuræ, si qvis ejus præcepta servaverit, minisq; mortis primæ & secundæ, si qvis illa violaverit Levit. XVIII. 5. Deuter. XXVII. 27. Maledictus &c. terrendo ac maledicendo manuducit ad Christum Rom. X 15. Gal. III. 23. 24. Alium usum nobis lex non præbet, neq; à nobis impleri potest. Rom. VII. 14. vid. Apol A. C. p. 83. Artic. Smalc. p. 3 8. Epitome F. C. p. 591. solida declar. 709. & 717.

Errant igitur Papistæ statuentes, nos posse omninò legem Moralem implere, & hanc impletionem esse meritoriam vitæ æternæ.

D. Animam humanam non perindè ac corpus corrumpi aut interire, sed peculiari Dei ordinatione incorruptibilem esse & aliò ferri intereà, donec aliqvando cum corpore suo vicissim uniatur, docet Ecclesiastes cap. XII. 7. ex qvo solo dicto Smalcius, pertinax Photinianus, *evincens argumentum pro immortalitate animæ* peti posse existimat disp. VII. contra Frantzium. Docet eandem animæ ἀθανασίαν Salvator Matth X. 28. & Matth. XXII. 23. ubi non tantum carnis resurrectio, de qva erat qvæstio, verùm etiam animæ immortalitas infertur per hoc qvidem argumentum: Qvorumcunq; DEus DEus est, sive curam gerit, illi non sunt mortui sed vivunt. Atqvi Abrahami, &c. E. Immorta-

tatis hujus certitudinem ex ſola Revelatione divina eſſe egregiè probat. B. Dn. Hülſemannus Brev. Theol. c. XVI. §. 1. Præſupponit eam articulus de vita æterna.

E. Certò futuram iteratam ejusdem animæ cum eodem, qvod per mortem cecidit, corpore, unionem omnibus ac ſingulis hominibus mortuis extremo die, (hoc enim vocamus reſurrectionem carnis) credimus inducti oraculis Scripturæ Rom. XIV. 10. 2. Cor. V. 10, 1. Cor. XV. 53. Addatur claſſicum illud dictum Job. XIX. 25. qvod de reſtitutione Jobi in integrum fruſtrà exponitur. Nam Hiob in hac vita ſe reſtituendum paulò ante deſperaverat c. XIX. 10. Deinde loqvitur de ſe jam in pulverem redacto, qvæ non eſt niſi verè mortui deſcriptio. Tertio, ipſa verborum emphaſis, cùm verba ſuo plumbo & ſaxo inſcribi petit, aliqvid ſupra vulgarem ſortem denotat. Pertinet huc etiam dictum Exod. III. 6 qvo Salvator ipſe Sadducæis, reſurrectionem negantibus os obſtruxit Matth. XXII. 23. Symbol. Apoſtol. art. 3.

F. Extremum, univerſale, & manifeſtum judicium in die novissimo futurum, idq; eſſe medium commendandi & immittendi fideles ſolenniter cum corpore & anima in ſummam beatitudinem, infideles autem publicè convincendi & condemnandi ad extremum ſupplicium, credimus inducti oraculis Matth. XXV. 31. ſeq. ubi extremum judicium ejusq; proceſſus deſcribitur, ut nonnulla dicantur per συγκατάβασιν Act. XVII, 31. 2. Theſſ. I. 6 7. ſeqq. A. C. artic, 17. p. 14. Apolog. p. 217.

G. Vita hæc ſerenata erit viſione beatifica ſummi boni, 1. Ioh. III. 2. comitaq; ineffabili, pleniſſimaq; ac nullis ſeculis finienda incomprehenſibilium bonorum perceptione Matth. XXII. 30. 1. Cor. II, 9. 1 Petr. I. 8. manetq; χάρισμα Rom. VI v. ultimo, qvamvis detur illis qvi benè fecerunt Matth. XXV. 35 nõ tamen redditur benefactis ceu merces ex debito Rom. IV. 4. Gradus autem gloriæ diverſi in vita æterna dabuntur pro diverſitate laborum 1. Cor. IX. 6. Symb. Apoſt. art. 3. A. C. art. 17.

H. Mors hic intelligitur ſecunda, oppoſita vitæ æternæ, qvæ eſt finalis & nunqvã terminanda hominis à Deo ſeparatio, cũ cruciatib9 infernalibus conjuncta Apoc. I. 11. c. XX. 14. c. XXI. 8.

Matth

Matth. XXV. 41. Adeoq; constans tùm pœna damni 2. Thess. I. 9. tùm sensûs Matth. VIII. 12. Confer Rom. II. 9.

I. Hoc ipsum credere tria involvit (1) notitiam Esai. LIII, 11. Ioh. XVII. 3. ubi cognitio isthæc dicitur vita æterna non sanè formaliter, sed causaliter, prima scil. ac proxima causa consequendi vitam æternam. Extant parallela Metonymiæ hujus exempla Ioh. VI. 63. c. XI, 25. c. XII. 50. c. XIV. 6. Rom. XI. 12 indice Dn. Danhauero in stylo vind. p. 247. (2 & 3) assensum & fiduciam Heb. XI. 1. Fides est certa persvasio, ὑπόστασις, de iis, qvæ sperantur, & certa inductio animi, de iis, qvæ non cernuntur. Et fides qvidem, prout est salvifica, est apprehensio Christi ad subjectum credens in individuo applicativa, qvalis illa Iob. XIX 25. *Scio qvod Redemptor Meus vivit &c.* & Apostol: *Christus Me dilexit, & semetipsum pro Me tradidit.* Gal. II. 20. Est πληροφορία, certa animi de salute nostra persvasio Rom. IV, 21. Hebr VI. 11. πεποίθησις, id est plena fiducia Rom. VIII. 38. Ephes. III. 12. Qvando notitiæ justificatio tribuitur ut Es. LIII. 11. Ioh. XVII. 3. tum illa synecdochicè & familiari Hebræis loqvendi ratione etiam fiduciam complectitur, F. C. p. 68. 69. Apol. A. C.

K. Divo Paulô teste *animalis homo non percipit ea, qvæ sunt Spiritus Dei* 1 Cor. II. 14. *Non sumus idonei cogitare aliqvid à nobis ipsis, tanqvam ex nobis ipsis,* (in rebus scil. spiritualibus) *sed qvod idonei sumus, id ex Deo est,* ut idem affirmat II Cor. III. 5. *sensus carnis inimicitia est adversus DEum* Rō. VIII. 7. A. C. art. 18. p. in F. C. 14. Apol. p. 217. Art. Smalc. 318. Epit. 518. Solid. declar. 654.

L. *Nam Deus operatur in nobis velle & perficere* Phil. *II.* 13. Hinc Salvator ait Ioh. VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qvi misit me, traxerit illum,* ubi non est, qvod cum Calvinianis nobis imaginemur vim qvandam irresistibilem, cum non immediatus, sed mediatus & ordinatus â Salvatore indigitetur tractus, ipsum respiciens. *Sine me nihil potestis facere,* inqvit idem Salvator Ioh. XV. 5. ubi particula nihil non privativè, sed negativè accipienda est hoc sensu, qvod homo non renatus nihil qvicqvam in rebus spiritualibus possit. Hæc & alia scripturæ testimonia manifestè ostendunt nos in rebus spiritualibus, ex proprijs nostris viribus, penitus nihil præstare posse, qvæ autem præstamus in soli-

dum deberi Gratiæ tum excitanti vel pulsanti Apoc. III. 20. & prævenienti psal. LIX. 11, tum subseqventi, ad juvanti & cooperanti II Cor. III. 5. qvæ Gratia sufficiens & seria est qvoad omnes Esa. LXV. 2. Ezech. XXXIII. 11, estq; efficax in se; sed in eventu tantùm qvoad illos, qvi non spernunt pulsum gratiæ Matth. XIII. 12, nec obicem per malitiosam repugnantiam Spiritui S. ponunt Matth. XXIII. 38. Act. VII. 51. adeoq; non est irresistibilis, aut ita comparata, ut hominem qvomodo cunq; dispositum absolutè & ἀφύκτως immutet & refingat.

Errant hîc (1) *Papistæ statuentes, vires & facultates hominis in Spiritualibus læsas qvidem esse, attenuatas & ligatas, sed non planè extinctas & ablatas, adeò, ut homo non renatus ad gratiā & fidē ex propriis suis viribus se disponere, & qvæ ei in lege & Evangelio præscribuntur, inchoare & efficere, Deoq; vocanti & excitanti per vires præexistentes cooperari possit.* (2) Errant *Calvinistæ, & inter Pontificios Dominicani, Gratiam qvandam irresistibilem, στρεψικάρδιον, cogentem ac necessitantem asserentes.*

M. Nomen Iesu Salvatori nostro Angelus, ejus nativitatem annuncians non tantùm indidit, sed &, qvid significaret, non obscurè declaravit, dicens ad Iosephum: *Vocabis nomen Filii, qvi ex Maria nascetur, Iesus. ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis suis. Matth. I. 12.* Nomen Christi, qvod Græcum est sicut Iesu Hebræum, ipsi est inditum, qvoniam secundùm humanam naturā unctus est infinitâ plenitudine Spiritus S. psal. XLV. 8. Unxit Te DEus ò DEus, &c. Id qvod ad Christum accommodat epistola ad Hebræos c. I. 9. per oleum lætitiæ intelligendum esse Spiritum S. satis clarum est ex verbis Petri Act. X, 38. *DEus Jesum de Nazareth unxit &c.* Fuit a. unctio Christi nihil aliud, qvàm inauguratio ad triplex officium, Sacerdotale nimirum, Propheticum & Regium, sicuti in V. T. unctos constat Reges 1. Sam. X. 1. c. XVI. 13. 1. Reg. XIX. 16. Sacerdotes Exod. XL, 12. seqq. ac Prophetas 1. Reg. XIX. 16.

N. Verum Deum ostendunt tùm expressæ appellationes Rom. IX, 5. *Jesus Christus est DEus super omnia* (ergò summus) *benedictus in secula,* qvæ formula in hunc usq; diem apud Judæos periphrasis est Dei Israelis. Joh. XX, 28. Dicit Thomas

Dominus

Dominus meus & Deus meus, qvæ verba non sunt exclamatoria ac admirabunda, sed confitentia; statim enim subjicit Christus: *Qvia vidisti me, credidisti:* tùm attributa divina ipsi in Scriptura S. adscripta ut *æternitas* Joh. I. 1. seqq. *omnipotentia* Apoc. I. 8. *omniscientia* Joh. III. 13. C. XXI. 17. *Gloria antesecularis* Joh. XVII. 5. *Adoranda Majestas & cultus divinus* Hebr. I. 6. ὁμοȣσίαν probat Joh. X. 30. *Ego & pater unum sumus* non sanè unitate personæ, nec solius voluntatis, sed essentiæ, non specificè, sed singularissimè, simplicissimèq; unius, qvod succinctè probat, sed nervosè Dn. Danhauer. in Hodosoph. p. 170. De Christo, ejusq; persona & officio *Aug. Confess. art. 3. Apol. in F. C p. 59. Art. Smalc. p. 303. Epit. p. 605. Sol. decl. p. 761.*

O. Joh. III. 16. Est igitur Filius Dei verus ac naturalis Matth. XVI. 16. C. XXVII. 54. Joh. V. 20. à patre unius ejusdemq; numero essentiæ communicatione ab æterno verè propriéq;, modo tamen hyperphysico ac impervestigabili genitus Psalm. II. 7. Mich. V. 2. Prov. VIII. 22. primogenitus Col. I. 15. Heb. I. 6. hodiè genitus in hodiè παραλλάξεως nescio Jac. I. 17. æterno 2 Pet. III. 8. atq; adeò Patri ὁμοȣσιος, uti paulò antè dictum. Unigenitus appellatur, qvoniam solus ex solo Patre singulariter est genitus, inqvit Damascenus l. 1. Orth. fid. c 9. Symb. Apost. art. 2.

P. Spiritum S. esse verum DEum ostendit tùm appellatio Dei expressa 1 Cor. XII. 6. tùm vox Petri ad Ananiam Act. V. 3. hoc pariens argumentum *Cui præter Apostolos tùm temporis mentitus est Ananias, is est verus Deus. Atqvi Spiritui S.* E. Ostendunt idem merè divina, qvæ Spiritu S. in SS. literis passim assignantur idiomata e. g. *qvod omnia, ipsius qvoq; divinitatis abypsum perscrutetur 1. Cor. II. 10. qvod corda fidelium, veluti templa possideat 1. Cor. VI. 19. qvod peccatores justificet 1. Cor. VI. 11. Qvod per lavacrum aqvæ in verbô convertendos regeneret ac conversos renovet Tit. III. 5. qvod absolutâ potestate Ecclesiam gubernet & dona dispenset 1. Cor. XII. 4. seqq. qvod per Prophetas divinitus afflatos sit locutus 2. Petr. I. 21. Irremissibile qvoq; est peccatum, qvod in ipsum committitur Matth. XII. 32. Divino etiam cultu est adorandus* Matth. XXVIII 19. Esa. VI. 3. collat. cum Act. XXVIII. 25. Adde 1. Joh. V. 7.

Et

Et hi tres unum ſunt ſcil. ratione Eſſentiæ, non ſolius conſenſus, id qvod ex modo loqvendi θεοπρεπῶς de divinis probat Dn. Danhauer Hodoſoph. p. 170. Eſſe verè Spiritum S. peculiarem perſonam, docet ὑπόστασις perſonalitatis nota, & tota perſonæ definitio, aliunde repetenda, qvæ Spiritui S. propriè ac verè competit. Adde qvod diſſertè vocetur ἄλλος à Patre & Filio Joh. XIV. 16. qvod in formula baptiſmi diſtinctè à reliqvis duabus perſonis enumeretur Matth. XXVIII. 19. Symb. Athanaſ. & Nicæn. art. 1. A.C. & Smalc.

Q. Geneſ. I. 1. *In principio creavit Elohim &c.* Qvod Hieropſaltes ita explicat *Verbo Domini cœli firmati ſunt &c.* Pſ. XXXIII 6. ubi per Dominum intelligit Deum Patrem, tanqvam fontem & principium SS. Trinitatis, per Verbum verò DEum Filium Joh. I. 1. *In principio erat verbum, & Verbum erat apud DEum, omnia per ipſum facta ſunt &c.* per Spiritum deniq; oris Domini, DEum Spiritum S. Job. XXXIII. 4. Art. 1. Symb. Ap.

R. Genes. XVII. 1. Luc. I. 37. c. XVIII. 27. Epheſ. III. 20. Poteſt igitur DEus omnia, non tantum naturæ, ſed naturâ, hoc eſt, abſolutè poſſibilia ſive qvæ ullam, ut loquuntur, rationem factibilitatis habent, nec implicant contradictionem, non noſtrô, ſed divinô judiciô æſtimandam. *Errant hic graviter Calviniani, DEi omnipotentiam Rationis corruptæ decempeda metientes, negantesq; DEum ſupra & ultra vires naturales, Rationemq; humanã aliqvid poſſe.* vid. B. Himmel. Calvin. diſp. III. §. 16. ſeqq.

S. 1. Par. XXVIII. 9. Pſalm. CXXXIX. 2. Joh. ult. v. 17. Eſt igitur DEus non tantum præteritorum ac præſentium gnarus, ſed & in ſe futurorum, divino tamen oculo præſentium, malorum etiam ſub conditione futurorum vel non futurorũ 1. Sam. XXIII. 1. Reg. XI. 2. Matth. XI 21. adeoq; etiam nunqvam futurorum, ſed poſſibilium. Unde latior Omniſcientia divina, non entitate & proportione, ſed objectorum numerô, Potentiâ & Voluntate. Et utut ſit ab æternô, & infallibilis, rebus tamen, ſuper qvas fertur, nullam adfert neceſſitatem, ut velle videntur Calviniani.

T. Pſalm. CXXXIX. 7. Act. XVII. 28. Importat autem hæc, de qva loqvimur, Omnipræſentia formaliter ac definitivè, in ſenſu ſcil. ac ſtylo Biblico, tùm adeſſentiam ad creaturas ſub-

ſtantialem

41

ſtantialem, illocalem, impartibilem, incircumſcriptibilem, qvam Scholaſtici in deſcriptione concurſûs divini cum creaturis vocant immediationẽ ſuppoſiti, tum efficacẽ ac omnipotentẽ operationẽ, qvæ aliàs dicitur im̃ediatio virtutis Jer. XXIII. 23. Col. I. 17

V. Levit. XI. 45. c. XIX. 2. Eſ. VI. 3. Notat nobis ſanctitas Dei ſum̃am in Deo, omnisq; labis omninò expertem puritatem, munditiem debitam exigentem à creatura, & abhorrentem à contrario. B. König in Theol. poſit. p. 29. *Injurii ſunt in ſanctitatem Dei Calviniani, DEum peccata velle dictitantes.*

X. Pſalm. XI. 7. Pſalm. CXIX. 137. Eſt igitur DEus judex juſtiſſimus, boni remunerator & mali vindex, qvi ut nullum, ne minimum qvidem peccatum transmittere poteſt, niſi vel in peccante, vel ejus vade ſit exacta pœna, ita nullum abſolutè ac per ſe omni modo innocentem ſupplicio afficit, nec ut poſſit punire, malè facere cogit. *Iniqvi ſunt itaq; in juſtitiam Dei Calviniani, ſtatuentes, DEũ maximam humani generis partem abſolutè, absq; ullo culpæ ſeu peccati intuitu, vel ob peccatum, ad qvod eam condidit & coegit, æternum damnare.*

Y. Num. XXIII. 23. Pſalm. XXXIII. 4. Ebr. VI, 18. Notat veritas hæc tùm conformitatẽ rei promiſſæ cũ divina voluntate, tùm conformitatẽ enunciatæ promiſſionis cũ divinò intellectu & voluntate ſimul, qvæ poteſt dici veritas in promittendo; ſenſiſſe ſc. ita Deũ, qvomodo pronunciaverit. *Errant hic Calviniani, qvi dum Deo duplicẽ voluntatẽ alterã in verbo revelatã, alterã verò arcanã, Revelatæ contrariũ affingunt, eundẽ falſitatis & hypocriſeos qvoad voluntatem revelatam arguunt.* vid. B. Himmelii Calvinis. diſp. III. §. 25.

Z. Pſalm. CII. 25. Eſt autem nobis æternitas permanentia eſſentiæ Divinæ, principio & fine carens, omnemq; omninò ſucceſſionem excludens.

AA. Pſalm. CXLV. 8. Rom. XI, 32. Epheſ. II. 4. Hæc miſericordia nihil eſt aliud, qvàm gratioſiſſima voluntatis Divinæ propenſio ad ſuccurrendum miſeris voluntate antecedanea omnibus, non qvaſi voluntas Dei in ſe ſit multiplex ac diſtincta; Nam talis duntaxat eſt Rationis noſtræ ordine, unum actum præ altero concipientis. Secundùm hanc voluntatem eſt ſalutis mortalium, nullô excepto, certô tamen ordine, ſeriò & æqvaliter

ter cupidus, non concione tantùm & præcepto, sed etiam decreto, promissione & communicandi intentione; cupidus in qvam salutis, omnibus efficaciter conferendæ Joh. III. 16. Matth. XI. 28. *Enormiter hic errant tùm supralapsarii Calviniani, statuentes, DEum maximam humani generis partem, non ad vitam sed ad æternam mortem creasse, eandemq; è lapsu, & peccati miseria nullis modis liberare, sed absolutè æternum damnare ab æterno constituisse; tùm Infra lapsarii, asserentes DEum qvosdam tantùm hominum lapsorum misericorditer ad vitam elegisse, cæteros absolutâ voluntate suâ in statu damnationis reliqvisse, qvæ sententia hodiè ferè communis est Calvinianorum.* Epit. F. C. p 617. solid. decl. p. 797.

BB. Voluntas conseqvens est, qvâ DEus libro vitæ qvasi testamentario, æterno, in cœlo recondito, in Evangelio aperto certo ac immutabili consignatos elegit ac prædestinavit ad vitam æternam conseqvendam eos ex genere humano lapso, qvi fide in Christum ad finem usq; vitæ perseverant. 2. Tim. I. 9. c. II, 19. Ephes. I. 4. Elegit nos in Christo, &c. Prævio ergo ad Christum, fide olim à nobis apprehendendum, respectu in æternitate à Deo sumus electi. Qva tamen ratione æterna Dei prædestinatio non suspenditur ab hominis dispositione. Nam nec vires credendi, nec objectum fidei, nec ordo & modus agendi, qvem DEus vult ratum habere, est ab homine, sed in solidum à liberrimo & gratioso Senatus Consulto SS. Trinitatis. Sanè hominis est vires spirituales divinitus sibi concessas credendo exercere, & Christum sibi appropriare: Verùm, ut hoc liceat, & postmodum etiam in judicio DEi ratum sit, pendet à divina salutis nostræ œconomia. Visum est Deo &c. 1. Cor. I. 21. *Crassissimè hic errant Calviniani, asserentes, DEum nullo ad fidem habito respectu pro absoluto suo beneplacito qvosdam ad vitam elegisse seu prædestinasse, qvosdam, imò multo maximam humani generis partem reprobasse, vi ejusdem beneplaciti seu decreti.*

CC. Humanam in Christo naturam nobis consangvineam probant appellationes, partes & proprietates illius, imprimis verò ipsius Christi secundum humanam naturam in utero Mariæ Virginis conceptio & subsecuta nativitas. Appellatur enim *semen mulieris Genes. III, 15. Semen Abrahæ Gal. III. 16. Filius David. Matt.*

XXII.

XXII. 42. fructus ventris Luc. I. 42. Habuit corpus & animam Luc. XXIII. 46. Matth. XXVII. 50. intellectũ & voluntatem Matth. XXVI. 39. appetitum naturalem, siqvidem esuriit Matth. IV. 2. sitivit Joh. IV. 7. tristatus est Matth. XXVI. 38. exultavit Luc. X. 21. passus & mortuus est, uti constat ex historia Evangelica.

DD. Conceptio Christi de Spiritu S. non fuit generatio ex substantia Spiritus S. ob qvam Spiritus S. dici possit pater, sed fuit admiranda productio humanæ naturæ qvoad animam & corpus ex semine virginis, qvam naturam λόγος assumpsit Luc. I. 35. Conceptione initium sumit status exinanitionis, qvo Θεάνθρωπος secundum humanam naturam Majestatis divinæ & infinitæ, vi unionis personalis secundum eandem sibi communicatæ, usu plenario & incessante verè & realiter, liberè tamen & ad tempus se abdicavit, ut pro commisso à protoplastis Dei formitatis raptu justitiæ Dei satisfaceret, & amissam salutem lapsis repararet Phil. II. 6,

EE. Matre vera EX QVA, non solùm In QVA natus Luc. I. 35. Gal. IV. 4. virgine ante, in & post conceptionem Mat. I. 20. An verò ἀειπαρθένος ac semper virgo fuerit, ex Scriptura non constat.

FF. Heb. II. 14. c. VII. 26. 27.

GG. Unus est Salvator, Unus Dominus &c. 1. Cor. VIII. 6. 1. Tim. II. 5. Unus autẽ est, unione nõ essentiali, cujusmodi unio seu unitas est inter personas SS. Trinitatis, qvia in Christo est ἄλλο καὶ ἄλλο; non naturali, qvalis est animæ & corporis in homine, qvia λόγος est per se subsistens & in principio jam erat; partes autem essentiales per naturam non possunt seorsum existere; nec accidentali, παραχωρητική qvalis est inter corpus humanũ & vestem, nec sustentativâ, qvia sustentatio carnis est omnibus tribus personis communis, nec deniq; commixtivâ, qvalis est carnis ex elementis compositæ. Sed Personali. Nam duæ naturæ per incarnationem Filii Dei ita sunt unitæ, ut λόγος humanã naturam in unitatem suæ personæ assumpserit, eiq; suam divinam Hypostasin, qvæ â divina illius natura realiter non differt, communicarit. Nam ante unionem non nisi Divina τοῦ λόγου natura præexistebat in sua propria Hypostasi; humana verò natura,

simul ac à Spiritu S. producta, etiam assumpta est in Hypostasin Filii Dei, ut propria ejus humana subsistentia, ad qvam alias τῇ φύσει inclinabat, per hanc assumptionem fuerit intercepta. Unde etiam Christus unum est per se Hyphistamenon, idem Dei & Mariæ Virginis Filius. Terminus enim assumptionis est persona, unde & ipsa unio personalis solet appellari, qvæ unio etsi in via ad cœlum evidenter cognosci non possit, qvomodo facta sit 1. Tim. III. 16. describitur tamen *qvod sit perichoristica, inconfusa, inseparabilis, & indistans conjunctio & unitio duarum integrarum naturarum in unam Hypostasin: Et participatio mutua naturarum de se invicem in una persona tàm vera proprietate participationis, qvàm verè pueri de natura humana participant Ebr. II. 14.* Ex ista naturarum unione & communione promanat, qvicqvid humani de Deo, & qvicqvid divini de homine Christo dicitur & creditur, ut loqvitur epitome Form. Concord. p. 607. Hinc in Christo inhabitare dicitur πᾶν πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς Col. II. 9. qvam inhabitationem Græci vocant περιχώρησιν seu mutuam naturarum circumimmeationem personalem, per qvam Filius Dei est & dicitur Homo; vicissim verò hic homo, DEus, vel Filius Dei viventis, prædicatione non verbali, sed reali. Ut autem naturæ in eodem supposito mutuò participant, ita participant qvoq; invicem de proprietatibus suis Essentialibus, salvâ & integra cujusq; differentia specifica. Qva de re cum Spiritus S. in Scripturis diversimodè loqvatru, pro diversa Naturarum vel ad personam, vel unius ad alteram, vel utriusq; ad officii opera relatione, Doctores orthodoxi doctrinam hanc triplici communicationis idiomatum genere sunt complexi, primum genus vocantes ἰδιοποιΐαν, secundum μεταποίησιν, tertium κοινωνίαν ἀποτελεσμάτων F. C. tertium genus secundo & secundum tertio loco numerat p. 773. *Errant hic præcipuè Calviniani, formalem rationem unionis personalis non in divinæ τοῦ λόγου naturæ communicatione, sed tantum in subsistentiæ & nuda humanæ naturæ sustentatione constituentes, adeoq; veram ac realem idiomatum Communicationem, ut & ὑφισταμένου unitatem negantes, λόγον extra vel ultra carnem fingentes, & hoc modo Nestorianismo velificantes.*

HH. Vi

H H. Vi ſcil. unionis perſonalis, ſecundum qvam tota plenitudo Majeſtatis divinæ communicata eſt humanæ naturæ Chriſti, qvæ in tempore & citra contradictionem communicari potuit. Colos. II. 9. ubi notandum, *qvod ea etiam idiomata, qvæ hoc modo communicari non potuerunt, dicantur communicata cum tota plenitudine Divinitatis qvo ad poſſeſſionem æternum durantem, uti loqvitur* B. Hülſemannus Brev. Theol. c. VII §. 9. ubiqvitate non phyſicâ, locali, diffuſiva, expanſiva, craſſâ, ſectili, monſtroſa, dependente ex immenſitate Dei; ſed omnipræſentià cœli ac terræ, omniūq; in regno potentiæ, gratiæ ac gloriæ, impletrice, operatricè, ac gubernatrice, ab ipſius voluntate pendula Mat. XVIII. 20. c. XXVIII. 20. plenè ſe exerente in ſtatu exaltationis Ephes. IV. 10. ubi per τὰ πάντα omnes creaturas intelligi patet ex abſoluta Apoſtoli locutione ſine reſtrictione, ἐκ τῶν πάντων partitione v. 11. explicatione Ephes. I. 22. 23. πάντα ἐν πᾶσι, per rò implere autem implere verè divinum intelligitur, circumſcriptum non nudâ adeſſentiâ, ſeu Entis ad Ens exiſtentiâ, ſed efficax per præſẽtiſsimam ubiq; operationem, cum præſentiâ ſubſtantiali conjunctam, deſcriptum Ier. XXIII. 22. 23. *Errant hic Calviniſtæ omnipræſentiam Chriſti ſecundum humanitatem præfractè negantes, & rabiosè allatrantes.*

II Matth. XXVIII. 18. ubi τὸ Mihi ad Humanitatem ſpectat, ad Filium Hominis Dan. VII. 14. ad eam naturam, de cujus majeſtate dubitabatur, haberetne illa omnia in manibus ſuis, qvæ nuper manibus hoſtium capta, ligata, occiſa, cujus gloria in noviſſimo die manifeſtanda erat. c. XI. 37. Ioh. III. 35. ἐξουσία verò officialis à δυνάμει eſſentiali non ſeparanda Luc. IV. 36. c. XXII. 69. Ioh. XVII. 2. Confer Apoc. V. 12. Ioh. v. 21. uti ἐξουσία non ſolum ſummum faciendi jus, ſed & αὐτοκρατορικὴν, αὐθεντικὴν & καρδιογνωστικὴν δύναμιν notat, qvod etiam innuit προσθήκη in Cœlo & in terra, qvæ eſt ipſius divinæ potentiæ periphraſis, ut oſtendũt loca 1 Paral. XXIX. 11. & Mat. XI. 25. Luc. X. 21. Act. XVII 24. Vocabulũ πᾶσα denotat poteſtatem à qva nihil eſt exceptum, ſub qva etiã comprehenditur vis vivifica, talis non ſolũ ratione unionis cum verbo, meriti & copulationis cũ membris, verũ etiam effectivè; ſicut cibus effectivè nutrit ad vitam, ita caro Chriſti Ioh.

V. 26. c. VI. 54. 1 Cor. XV. 45. Errant hic Calvinistæ, *Christo homini potentiam aliqvam merè moralem, certisq́ veluti limitibq circumscriptam tribuentes, adeoq́ Eum secundum humanam naturam verè omnipotentem negantes.*

KK, Ioh. II. 25. c. XVI. 30. Col. II. 3.

LL. Ioh. V. 22. v. 27 ubi particula ὅτι non causaliter & reduplicativè, sed restrictivè & specificativè accipienda, alioqvin sequeretur à Qvia ad de omni, omnem filium hominis habere ἐξουσίαν judicandi.

MM. Psal XCVII. 7. *Adorate eum &c.* Id qvod ad Christum accommodat epistola ad Hebr. c. I. 6. Adoranda autem est caro sive humanitas Christi non per se, & ex se, nec ut purpura Regis ex accidenti, nec ob habitualia & super Angelica dona, nedum ut altera persona, sed ob & per unionem personalem ac donorum immensorũ collationem. Nam dignitas recipiendi adorationem religiosam eandem specie & numero cum adoratione Dei, Christo Homini communicata est in concreto, tanqvam Redemptori, non propter respectũ finiendũ in alterutra concreti natura Phil. II. 10. Errant hîc Calvinistæ, *duplicẽ fingentes adorationem, qvarum sublimior τῷ λόγῳ, inferior humanæ naturæ dependatur, atq́ adeo negantes, Christum secundum humanam naturam adoratione religiosa, qvæ sit eadem specie & numero cum adoratione Dei esse venerandum.*

NN. 1 Tim. II. 4. 6. ubi vocem OMNIS non sumi indefinitè pro diversis generibus hominum, sed pro OMNIBUS, ut complectitur hæc vox fideles & infideles, patet ex cap. IV. v. 10. *Christus est Salvator omnium hominum, maximè fidelium,* qvæ ἐξοχὴ, μάλιστα, locum non habet, si infideles nullô modô sunt redempti. Rom. V. 18. *sicut per unius hominis delictum &c.* 1 Ioh. II. 2. *Christus est propitiatio efficax pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum* (id est fratrum fidelium & Græcorum, qvi sane non omnes electi) sed καθολικῶς, est enim epistola Catholica, pro TOTIUS mundi peccatis, hoc est infidelium, qvos inter plurimi reprobi, omnium ac singulorum, qvos omnes intererat moneri ne peccent. Errant hic gravissimè Calvinistæ, *impiè dictitantes Christum esse Salvatorem paucorum qvorundam hominum, eorum scil. qvos*

DEus

DEus ab æterno absolutè elegit. Horum gratia illum venisse in mundum, & pro his revera mortuum, non pro omnibus ac singulis hominibus.

OO. Iuxta obedientiam activam Christus legem implevit, ipse per se nullo modô legi obnoxius Matth. V. 17. Non veni &c. Rom. V. 19. Qvemadmodum per inobedientiam &c. c. X 4. Iuxta obedientiam passivam, qvæ perfectissima est, innocentia & causæ & personæ, pro nobis durissima qvæq; & tandem crudelissimam mortem est perpessus Gal. III. 13. Christus nos redemit &c. scriptum est enim Devt. XXI. 23. promptissima & constantissima Phil. II. 13. Esa. LIII. 4. Qvamvis autem in compluribus scripturæ locis morti & effusioni sanguinis Christi Redemptionis opus tribuatur, id tamen haud qvaqvam exclusivè accipiendum, ac si sancta Christi vita ab opere redemptionis per hoc excludatur, sed ideò illud fieri existimandum, qvia nusqvam illuxit clarius, qvod nos dilexit ac redemit Dominus, qvàm in ipsius passione, morte & vulneribus, ut loquuntur pij veteres, & qvia mors Christi est velut ultima linea ac complementum finis & perfectio totius obedientiæ. Errant hic Calvinistæ nonnulli, *activam Christi obedientiam ab ejusdem obedientia passiva separantes, & hanc solam, exclusâ illâ, ad justitiam imputari dictitantes.*

PP. Christus scil. est *Propheta ille magnus* Devt. XVIII. 18. Act. III. 22. c. VII. 37. *ac divinitus obsignatus* Ioh. VI. 27. Matth. III. 17. c. XVII. 5. Ioh. XII. 28. *docens per ministros suos omnes gentes* Matth. XXVIII. 19.

QQ. Christus Rex est tergemino dominio, in cœlestia, terrestria, & subterranea, in regno itidē potentiæ, gratiæ & gloriæ adorandus Phil. II. 10. Catholicus locis, tēporibus, subjectis. Sceptro, hoc est sceptrifero ministerio è Sione emisso. Fines suos ultra solem extendere debuit juxta Prophetarum præsagia Mich. IV. 7. Zach. IX, 10. Confer Dan. VII. 14. Luc. I. 33.

RR. Heb. II. 14. Rom. III. 24. Ephes. I. 7. Heb. IX. 12 & 15. 1 Pet. I. 18. ac ideò servitio & cultu bivino est proseqvendus Phil. II. 10.

SS. Passio Christi circa finem vitæ biduo ante mortem ab ipso exantlata hic præcipuè intelligitur, ubi qvidem passa est humana, non Divina natura, qvæ simpliciter ἀπαθὴς est, alio tamen

tamen modò ad humanitatis sibi personaliter unitæ passiones concurrens, easdem scil. ut in se spectantur, volendo, adhærentem hostium malitiam permittendo, illas mediante ὑπςάσει sibi appropriando, naturam patientem sustentando, passionibus ejus infinitum pondus superaddendo, easdemq; ad finem humano generi salutarem determinando. Luc. XXIV. 26. Nonne hæc oportuit pati Christum &c. Est itaq; Mediator & sacerdos noster Christus secundum utramq; naturam. Et nos rectè dicimus, qvod ipse DEus verè passus sit personaliter & propter unionem personalem, ob qvam omnes infirmitates non minus pertinent ad Filium DEi, qvàm si illas ipsas in sua natura impassibili sustinuisset. Hinc dicitur proprius DEi filius pro nobis traditus Rom. VIII.32. Autor vitæ interfectus Act.III.15, c. XX. 28. DEus propriô sangvine redemisse Ecclesiam 1. Cor. II. 8. Dominus gloriæ crucifixus. Errant hîc Calviniani negantes λόγῳ propriè esse adscribendam passionem, aut λόγον verè passum esse. Qvando igitur dicitur: Filius Dei est passus, hujus generis propositiones esse Synecdochicas, & per ἀλλοίωσιν sic explicandas sciscunt: Humana natura seu caro Filii Dei est passa, qvæ resolutio admodum est periculosa, merumq; sapit Nestorianismum. F. C. p. 771.

TT. Conseqventer profundissimè exinanitum Phil II 8.

VV. Hoc est ita, ut anima à corpore verè ac localiter fuerit separata Luc. XXIII. 46. Interim unionem personalem mansisse integram, & Christum verum hominem ob invariabilitatem unionis personalis, & partium naturaliter separatarum permanentiam hypostaticam in λόγῳ credimus Matth. XII. 40.

XX. De universalitate qvoad singula individua supra dixi NN. de universalitate & perfectione meriti & satisfactionis qvoad singula peccata Tit. II.14.1. Joh. I 7. Heb. X.14. Errant hîc una ex parte Calvinstæ, dictitantes, Christū non pro omnibꝰ mortuū, sed pro solis electis: altera ex parte Papistæ, nugantes, Christū pro originali tantùm peccato satisfecisse, & pro pœna æterna; homini autem satisfaciendum pro peccatis actualibus & pœna temporali.

YY. Matth. XXVII. 60. Marc. XV. 45. Luc. XXIII. 53. Joh. *XIX.* 42. Atqvi hic exinanitionis finis est.

ZZ. 1. Pet.

ZZ. 1. Pet. III. 19. Coloss. II. 15. Articulus hic fidei in statu exalationis primus piè & simpliciter creditur, modus & circumstantia specialis, qvippe imperscrutabilis, tutò ignoratur. Errant hîc Calviniani, descensum hunc ad inferos tropicum & pœnalem non triumphalem asserentes, tùm Pontificii, finem descensûs Christi ad inferos eductionem animarum ex limbo audacter, & ex falsa hypothesi definientes. F. C. p. 613.

(a) Rom. I. 4. Mat. XXVI. 61 c. XXVII. 40. Marc. XIV. 58. c. XV. 28. Joh. II. 19. Resurrexit autem in carne qvalitatibus immutata 1. Cor. XV. 35. gloriosa Luc. XXIV. 26. Spirituali Luc. XXI. 31.

(b) Primum beatorum, tanqvam terminum communem Marc. XVI. 19. Act. I. 9. secundum humanitatem, qvæ sola sublimari poterat. Deitate enim semper fuit in cælo ipse altissim9; porrò ad cœlum DEi, tanqvam terminum proprium ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν Ephes. IV. 10. ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν Heb. VII. 26. ἀπρόσιτον 1. Tim. VI. 16. unde DEus respicit Psalm. XIV. 2. ubi preces nostras exaudit 1. Reg. VIII. 32. Matth. VI. qvod non potest non esse omnipræsens ac propè Es. LVII 19.

(c) Intelligitur hic dextra spiritualis non corporea, aut localis, dextra gloriosa, est enim dextra τῆς μεγαλωσύνης Heb. I. 3. c. VIII. 1. dextra throni Heb. XII. 2. omnipræsens Psalm. CXXXIX. 7. ac cœli mensoria Es. XLVIII. 13. infinita qvæ est dextra Patris, cujus essentia infinita gratiosa in regno gratiæ ac immensa est, dextra mirifica Psalm. XLV. 5. dexta Spiritus S. effusiva Act. II. 33. c. V. 31. Verbo, dextra Majestatis & virtutis divinæ, Ad hanc dextram sedet, id est collocatus, sedere factus est passivè Ephes. I. 20. singulari gratia Heb. I. 3. post absolutum exinanitionis statum, factamq; ἀνάληψιν hnmanitatis in cœlum Ephes. I. 20. Secundum humanitatem, Deitas enim taliter collocari non potuit. Ex gratia hujus sessionis secundũ humanitate, omnia regit, ac judicat, dominatur in regno potentiæ & gloriæ 1. Cor. XV. 28. id enim est sedere Exod. XI. 5. Deut. XVII. 18. 1. Reg. I. 13. 2. Thess. II. 4. Fluit ex hac sessione rectè ex Scripturis explicata per necessariã conseqventiam carnis Christi præsentia universalis in regno potentiæ gratiosa in regno gratiæ, gloriosa in regno gloriæ. Errant hic Calvinistæ, *dextram Dei interpretantes certum aliqvem & circumscri-*

 cumscri-

circumscriptum in cœlo locum, eiq; Christi humanitatem includentes.

(d) Is, qvi ascendit Θεάνθρωπος, veniet è πῦ illo, in qvo est juxta clarificati corporis naturam, visibili ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας 2. Thessal. II 8. ita ut nihilominus sedeat à dextris virtutis Matth. XXVI. 64.

(e) Rom. VIII. 34. Heb. VII. 25. 1. Joh. II. 1. intercessione non interpretativâ tantum, per meritum, sed reali & expressâ, est enim τὸ ἐντυγχάνειν non mutum, sed expressum Act. XXV. 24. Rom. XI. 2, nec serviliter supplicatoria, Deo glorioso indigna; Sed interpellatione, apparitione & advocatione Θεανδρικῇ καὶ ἱλαστικῇ & hoc ipso diversa à παρακλήσει illa Θεϊκῇ qvâ & Pater & Spiritus S. dicuntur παρακαλεῖν 2. Cor. V. 20. Joh. XIV. 16. spectante tùm in genere mundum, id est, non conversos, ut convertantur, tùm in specie fideles, ut in agnita veritate proficiant, veniam peccatorum, post regenerationem commissorum, consequantur, gratiæq; specialis donis exornentur.

(f) Joh. XV. 26. vid. oraculum istud Johanneum diligentissimè expositum à Dn. Danhauero in Stylo vindice p. 86. seqq. Gal. IV. 6.

(g) Vocatio hæc absolutè & in genere spectata, prout includit etiam vocationem indirectam, qvæ fit tùm intuitu hujus universi, ejusdemq; administrationis & divinæ in creaturas beneficentiæ Rom. I. 20. Act. XVII. 27. tùm per famã generalẽ & cõfusã de cœtu qvodã, in qvo dicitur agnosci & coli sol9 ver9 Deus, 1. Reg. X. 1. seq. II. Reg. V. 2. 3. 1. Thes. I. 8. Rõ. I. 8 pertinet ad totã SS. Trinit. homines vocantẽ tũ objectivè per propositionẽ creaturarũ, tùm effectivè & prædagogicè, per conclusionũ practicarum in mentibus infidelium suscitationem ad inqvirendum de vero cultu Dei; Relatè verò & specificè, cum observato ordine ac discrimine personarum divinarum considerata, est opus Spiritus S. utpote qvi est Spiritus Sapientiæ & Revelationis in agnitionem salutarẽ Dei, Ephes. I. 17. adeoq; ex consilio Patris & Filii opus hoc gratiæ perficit manifestando operâ Ministerii Act. XX. 27. benignissimam Dei erga universum genus humanum lapsum voluntatem per externam verbi prædicationem, distinctam & sufficientem ratione objectorum ad salutem credendorum, & bona

per

per Redemptionis meritum parta omnibus in universum hominibus offerendo eâ seria intentione ut omnes per Christum salvi fiant. Marc. XVI. 15. Prædicate Evangelium, (doctrinam de Christo omnium salvatore) omni ceraturæ (rationali) illi autem (scil. Apostoli post effusum in eos Spiritum S. ad tanti momenti negotium perficiendum, eos habiles reddentem,& hunc huc, illum aliò mittentem Act. I. 8.c. II. 4. seqq. c. XIII. 2)prædicaverunt UBIQUE. Fuit itaq; Apostolorum tempore hæc vocatio universalis, qvâ nemo fuit privatus, nisi qvi eam per evitabilem & voluntariam contumaciam propulsavit Act. XIII. 46. Rom. X.16.Ejus verò absentia &non-iteratio nihil præjudicat universali Dei gratiæ ac benevolæ voluntati erga omnes & singulos homines. Nam nobile illud depositum verbi sui semel spretum,vel non satis reverẽter habitũ à majoribꝰ non tenetur Deus restituere eorum posteris, in progenitoribus suis, qvorũ moraliter pars sunt, vocatis, si præsertim eos præviderit futuros suorum progenitorum similes. Sanctum non est projiciendum canibus &c. Matth. VII.6 Errant hîc Calviniani,cũ *Vocationem universalem vel simpliciter negant,vel dicunt, si qvi vocantur ex illis, qvi pereunt, eos vocari tantum vocatione externâ; internam illis & sufficientem DEum voluntate decernente & efficiente negasse,*

(h) Primum medium acqvirendi salutem per Christum partam παχυλῶς & ratione ordinis, non causalitatis sic dictum ex parte hominis adulti est pœnitentia Marc.I. 15. Matth. IV. 17, consistens partim in agnitione, dolore & detestatione peccati. Psal. LI. 5. habente utplurimùm adjunctam sibi confessionem externam,non promerentem, sed probabilem tantùm facientem pœnitentiæ sinceritatem 2.Cor. VII. 9. Act. II. 37. c. III. 17. 19. Luc.XIIX.13. Matth. XXVI. 75. Psal. XXXII. 5. 6. Partim in fide locata in gratiam Dei, meritô Christi partam, eamq; non solùm applicabilem hominibus qvibusdam, sed hîc & nunc mihi pœnitenti impertiendam, & actu ipso perfidem impetratam Matth. III. 2. c. IV. 17. collat. cum Act. XIX. 4. Act X. 21. ubi particula ET sumiter exegeticè qvemadmodum cap. XXVI. 20. deniq; in studio novæ obedientiæ Act. XXVI. 18. 20. trahens post se effective culpæ & pœnæ remissionem Psal. XXXII. 5. debitam in soli-

dū Deo propter Christū gratioso Eph. I. 3. 9. c. II. 1. ac in specie qvidem & terminativè Spiritui S. Ioh. III. 5. 1 Cor. VI. 11. Tit. III. 5. hominem adultum, spiritualiter mortuum, ex statu peccati in statum fidei vi supernaturali & divinâ transferenti ut agat pœnitentiam, adeoq; non procedens ab homine vel dispositivè, vel meritoriè, vel effectivè ullô modô ad eliciendā hanc conversionem se habente, sed passivè qvoad receptionem facultatum pœnitendi, activè verò qvoad exercitium peragendum per recens acceptas à DEo facultates supernaturales 1. Cor. IV. 7. Errant hîc Papistæ, pronunciantes hominem ad hanc conversionem se posse disponere, ejusq; actum per vires naturales aliqvô modô elicere, effectumq; promereri & acqvirere per confessionē externā. A. C. art. 12. Apol. in L. C. p. 161. Art. Smal. p. 319. Epit. p. 591. Solid. decl. p. 709.

(1) Baptismus aqvæ sic dictus à materia externa, adæqvata, terrestri, visibili, adjunctam sibi habente internam, cœlestem ac invisibilem, à speciali effectu baptismi distinctam, qvæ alias dicitur VErbum, seu res verbo institutionis promissa Ephes. V. 26 institutus à DEo Triuno Ioh. I. 33. Speciatim à secunda Trinitatis persona, Matth. XXVIII. 19. qvatenus vox institutionis universalem & perpetuam normam agendi cum universali obligatione observandi denotat, ad omnes homines veros, natos ac vivos utriusq; sexûs, sive infantes, sive adulti sint, pertinet Matth. XXVIII. 19. *Non est enim voluntas patris cœlestis ut pereat unus de pusillis istis c. XVIII. 14.* ut medium ac remedium speciale, ordinariū & in se sufficiens, Luc. III. 3. Joh. III. 5. qvod traducat homines è statu iræ in statum gratiæ divinæ auferendo peccata tùm qvoad reatum, tùm qvoad dominium seu habitum prædominantem, Marc. I. 4. contrà conferendo gratiam fidei justificantis & sanctificantis Tit. III. 5. non ex opere operato, sed modo agendi instrūentali tùm ex parte Dei, efficientis per baptismū tanqvā mediū influens, in homine fidē & pietatem tùm ex parte hominis, recipientis hæc beneficia per fidē, Gal. III. 26. Marc. XVI. 16. Fides enim omninò hic reqviritur, nō solùm ex parte adultorū, qvibus per verbū jā initiatis & conversis Baptismꝰ est regenerationis & adoptionis obsignatio & confirmatio juxta modum circumcisionis; qvæ & ipsa adultis erat σφραγὶς justitiæ Rom. IV. 2.

verùm

verùm etiam parvulorum, qvi non possunt frui salutiferô fructu baptismi sine fide præcedente, qvoniam nullum verbum DEi, nulla promissio prodest, nisi applicetur animo per fidem Ebr. IV 2. *fidem autem propriam* Habac. II. 4. Habent igitur & parvuli fidem, & qvidē eandem specie cum fide cœterorum justificandorum Rom. IV. 14. sive concipiant eam per applicationem verbi institutionis & promissionis ex parte Dei, sive per ipsam baptismi collationem. Errant hîc tùm Pontificii tùm Calviniani, *asserentes qvod propriâ fide careant infantes cum baptizantur. Calviniani præterea negant baptismum esse necessarium ad salutem, negant etiam omnibus infantibus prodesse, qvod pariter falsum est atq; erroneum.*

(k) Justificatio est totius Sacro S. Trinitatis Patris Rom. VIII. 33. Filii Esai. LIII. 2. 1. Cor. VI. 11. & Spiritus S. 1. Cor. VI. 11. actio externa, non infusiva justitiæ physica, sed moralis & judicialis Genes. XLIV. 16. id qvod ostendunt tùm voces Hebrææ Zadek, in kal notans justū esse Ps. XIX. 10. CXLIII. 2. in Hithp. seipsū justificare, in Hiphil absolvere, pronūciare justū, & Græca δικαιοῦσθαι, qvæ nō habet aliū sensū, qvā vel irrogationis supplicii, vel absolutionis & declarationis 2. Sam. XV. 4. Psa. LXXXII. 3. Esa. V. 23. Luc. X. 29. c. XVIII. 14. 1. Tim. III. 16. tùm phrases ac termini, qvibus hoc in negotio Spiritus S. utitur, nominans *debitum Matth. XXVIII. 24. Reum Psalm. CXLIII. Rom. III. 4. accusatorem* firmis probationibus convincentem, hinc illud Apostoli, προῃτιασάμεθα Rom. III. 9. *testem*, conscientiam Rom. II. v. 15. & *Chirographū, Tribunal Christi Rom. XIV. 10. 2. Cor. V. 10. advocatum, Christum 1. Joh. II. 1. Judicem*, Dominum Act. X. 42. c. XVII. 31. facta simul mentione gratiæ, misericordiæ, absolutionis à reatu; tùm oppositio inter justificationem & accusationem, habentem sibi adjunctam condemnationem Rom. V. 16. c. VIII. 33. 34. *una* perpetuò, ratione causarum, formæ, modi, *gratiosa*, propter solius Christi meritum, benevolentiæ divinæ & justificationis causam meritoriam unicam Rom. III. 24. 25. Act. IV. 12. Ephes. II. 5. Tit. III. 4. gratia hinc *privativâ*, dum obliviscitur peccatorum nostrorum, eaq; nobis non imputat, sed remittit per qvandam qvasi deletionem chirographi è rationario divino Rom. IV. 8. Col. II. 14. illinc *positivâ*, dum imputat justitiam seu meritum Christi, recipit

recipit nos in gratiam, & pro juſtis habet ac reputat in ſuo judicio, haud ſecus, ac ſi à nobismetipſis hæc juſtitia fuiſſet præſtita, adeoq; vi hujus imputationis, verè omninò ſumus juſti, etſi non inhæſivè, ſed per extrinſecam ſaltem actionem, qvæ veram etiam fundare poteſt denominationem 2. Cor. V. 21. Gal. III. 13. Phil. III. 9. Hæc juſtificatio aliàs fidei transſcribitur, fidei inqvam locatæ in gratiam Dei, hîc & nunc propter Chriſti meritum me juſtificantis. Hinc dicimur *juſtificari per fidem Jeſu Chriſti Rom. III. 22. Gal. II. 16. ex fide Jeſu Chriſti Gal. III. 22.* imò fides ipſa ab Apoſtolo imputari dicitur ad juſtitiam Rom. IV. 3. non ſanè πρώτως καὶ καθ᾽ αὐτὸ primò, & per ſe, ut qvalitas propriè, aut opus aliqvod bonum & eximii pretii, qvaſi ipſa ſit juſtitia, aut ejus pars, aut etiam juſtitiæ locô ex cenſu & æſtimatione Dei; ſed δευτέρως καὶ κατ᾽ ἄλλο, ſecundariò & ſecundum aliud, relativè nempe ad objectum Chriſtum, ipſius juſtiam & promisſiones gratiæ, ſeu qvatenus apprehendit Chriſti meritum. Hoc eſt qvod Theologi orthodoxi dicunt, Fidem non juſtificare ſecundum eſſe ſuum abſolutum, quatenus ſcil eſt bonus qvidam habitus in homine; Sed ſecundum eſſe ſuum Reſpectivum, qvatenus ſcil. inſtrumentaliter apprehendit rem juſtificam ſeu juſtitiam Chriſti, qvæ ſola coram Deo valet, tanqvam unicum Redemptionis noſtræ λύτρον. Qvando autem dicimus: Solam fidem juſtificare, tùm non gratiam Dei aut media δοτικὰ, Verbum & Sacramenta, ſed propria opera ex parte hominis ſub notione meriti & inſtrumenti, ab actu juſtificationis excludimus, & hoc volumus, nullam aliam eſſe rem, qvæ objectum juſtificum ſeu meritum Chriſti hominibus approprièt, niſi Fides. Non tamen ideò juxta noſtram ſententiam fides excludit bona opera ab homine qvi juſtificatur, qvaſi ille in eodem, qvo Chriſtum ad juſtitiam amplectitur, momento, non posſit aut debeat de emendatione ſui & dilectione proximi propter Chriſtum cogitare; Sed tantùm ab actu juſtificationis. Nam ſi opera illuc immiſceantur, gratia non eſt amplius gratia, & uſu venit illud; qvod Apoſtolus dicebat: *Si per legem vel opera juſtitia, Chriſtus fruſtrà mortuus eſt Gal. II. 21.* Errores Papiſtarum in hoc articulo ſunt plurimi & gravisſimi. **Nam** geminam fingunt juſtificationem, *primam*, cum ex

injuſto

injusto fit justus, & *secundam* cum ex justo fit justior. *Fidem justificantem* vocant *nudum assensum*, imò *ignorantiam potius*, *qvàm notitiam* appellandam censent, miris modis exagitantes fidem *speciale* qva fidelis qvilibet sibi ipsi applicat promissiones Evangelicas de remissione peccatorum per & propter Christum. *Imputationem justitiæ Christi per fidem* appellant *putativam justitiam*, nosq; *fide-solarios*, qvod ex Apostolo doceamus, *non nisi fide nos justificari*. A. C. art. 4 6. Apol. p. 60. 71. Act. Smalc. 304. 335. Epit. p. 583. declar. p. 682.

(l) Hujus renovationis causa effectrix terminativè & appropriativè Spiritus S. est Tit. III. 5. Rom. I. 4. Gal. V. 22. per verbum & sacramenta propter Christi meritum renovans hominis peccatoris, qvoad statum præteritum, regenerati autem & justificati, ratione status præsentis, adeoq; per acceptas supernè ex divina gratia vires ad renovationem suam concurrentis Rom. VIII. 13. Mutatione intrinsecâ & successivâ intellectum ad cognoscendum, voluntatem ad eligendum, affectus ad appetendum, facultates omnes ad exercendum bonum à Deo præceptum, sive expediendas actiones bonas & sanctas, Rom. XII. 2. Ephes. IV. 22. qvæ foràs prodeuntes, vocantur bona opera Ephes. II. 10. ac tùm demum verè bona, & hac appellatione digna sunt, cum respondent normæ legis divinæ, fluunt è fide, bonum intendunt finem, ad qvem collineant per bona media, & circumstantias rectas, nec tamen perfectè bona sunt, qvia propter corruptionem subjecti exercentis, perfectæ renovationis ex natura sua incapacis, non sunt exactè conformia legi divinæ Rom. VII. 14. 15. adeoq; non satisfactoria, nec meritoria vitæ æternæ, Gal. III. 12. neq; necessaria necessitate finis aut medii, sive acquirendam salutẽ spectes, sive conservandam, sed necessaria necessitate ordinis, præcepti, debiti, ad & propter Dei gloriam, Matth. V. 16. qui postea opera nostra ex gratia remuneratur non gloriâ ipsâ, sed gloriæ gradu Dan. XII. 2. 3. Errant hîc Papistæ *opera renatorum absolutè bona & meritoria vitæ æternæ* statuentes. A. C. art. 6. 20. Apol. p. 83. Art. Smalc. p. 335. Epit. p. 588. Solid. decl. p. 698.

(m) Sacra Cœna est Sacramentum N. T. adeoque uti à nobis celebratur, non habet rationem sacrificii iterabilis, cum

semel

semel fuerit in cruce peractum à vero & unico N. T. Sacerdote Heb. VII. 27. 28. c. IX. 7. 12. c. X. 10. 14. constans *tùm* materiâ terrestri, pane secundum substantiam verô, è farina, aquâ subacta pistô, sive fermentatus, sive azymus, oblongꝰ vel orbicularis sit, Mat. XXVI. 26. Luc. XXII. 19. & vinô verô ac naturali, quod etiam post bibitionem vocatur genimen vitis apud Lucam. l. c. *tùm* cœlesti, verô ac substantiali Christi corpore, quod in cruce pependit, ac sanguine, qui in cruce effusus est. Hoc *complexum sacramentale exhibetur* nobis sub speciebus panis & vini, 1. Cor. X. 16. *manducandum* ac *bibendum* manducatione ac bibitione verâ (quæ nihil est aliud quàm massũptio rei esculentæ vel potabilis per os in corpus ad reficiendas vires naturales vel spirituales) reali, propriaque proprietate non physica, sed significationis seu grammatica, opposita tropis Rhetoricis, *vi unionis sacramentalis*, quæ est vera realisq; benedicti panis & corporis, itemque vini benedicti & sanguinis conjunctio vi & efficaciâ verborum testatoris facta absque transubstantiatione, & *corpus* quidem mediante pane, manducatione simultaneâ, *sanguis* verò mediante vinô benedicto, bibitione simultanea; *ore corporeo*, in τάξει sacramentali constituto, *percipiendum*, modo supernaturali & ineffabili absque laniena Capernaitica à dignis æquè & indignis, 1. Cor. XI. 27. *fide* ad refectionem spiritualem, ex parte Dei intentam; *sumendum* sub utraque specie juxta institutionem Domini. Matth. XXVI. 26. cœnantibus discipulis dicebat Jesus: *Edite hoc est corpus.* Iisdem in eodem actu continuo dicebat: *Bibite ex hoc omnes:* Quoscunque igitur obligat mandatum edendi, eosdem obligat etiam mandatum bibendi, quam obligationis æqualitatem non tollit prætensa concomitantia corporis & sanguinis. Errant hîc tùm Papistæ, fingendo, *Christum in celebratione missæ iterum sacrificari, panem & vinum transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi; & laicis nefando sacrilegio calicem benedictum subtrahendo;* tùm Calvinistæ, veram, realem, & substantialem cum pane præsentiam corporis Christi in Cœna, ejusdemq; manducationem oralem, hoc est, quæ fit ore corporis, mediante pane, negantes & pernegantes. A. C. art. art. X. Apol. p. 157. Artic. Smalc. p. 330. Catech. min. p. 380. maj. 402. Epit. p. 597. solid. decl. p. 724.

(n) Mi-

(n) Ministerium ad hoc à Deo est institutum, ut hominibus viam salutis patefaciat, salutisque media à Deo constituta ritè applicet. Matth. XXVIII. 19. Deus mittit homines Apostolos ad prædicandum omnibus populis, ad exhibenda sacramenta, & colligendam Ecclesiam, in qua ipse præsidebit usque ad consummationem seculi 1. Cor. IV. 1. *sic nos æstimare debet unusquisque* &c. II. Cor. V. 20. *Legati Christi sumus* &c.

(o) A communione omnium fidelium de gratia Christi justificante & sanctificante per eadem media; communione ejusdem fidei & professionis, circa utramque illam Christi gratiam, & denique communione mutuæ charitatis dicitur Ecclesia una, sancta, Catholica Ephes. IV. 4. 5. 6 c. V. 23. 24. *Influxus ab eodem spiritu, una spes salutis in vocatione proposita &c. dant denominationem unitati corporis mystici, dant nomen sanctitati, dant nomen universalitati & Catholicismo, A. C. art. 7. Apol. 144. Art. Smalc. 335.*

(p) Obad. V. 17. In monte *Sion erit salvatio* &c. II. Cor. VI. 14. 17. Errant hîc gravissimè Papistæ, *Ecclesiã Catholicam* dictitantes, *quæ sequitur & agnoscit Papam Romanum pro vero, legitimo & ordinario Petri successore, & Christi in terris vicario, & pro capite visibili universalis Ecclesiæ*; cum potius Ecclesia, quatenus sequitur Papam Romanum, seu quatenus est Pontificia, sit Ecclesia Anti-Christiana, uti Pontifex est magnus & nobilis ille Anti-Christus. Nostra vero Ecclesia, quæ invariatæ A. C. est addicta, potiori jure vocari potest Catholica, quia in ea purè prædicatur nulla sui parte mutilata doctrina, quæ à prædicantibus Catholicis, Apostolis, ubique locorum, & cum Catholica credendi ad salutem necessitate fuit tradita, literarumque monumentis ad omnem posteritatis, veram salutis viam edocendæ, memoriam literarum monumentis consignata & consecrata Joh. VIII. 31. *si vos manseritis in sermone meo verè discipuli mei eritis.*

§. 16. Sufficienter hactenus me probasse puto articulos fundamentales sub ratione veri, superest ut probem eosdem sub ratione necessarii, siquidem id tùm rei ipsius indoles, tum fides data exposcit. Hîc denuò mihi aurem vellicant Walenburchii, voluntq; ut de uno quoque articulo, quem ad salutem creditu existimo necessarium, aperta scripturæ verba proferam, quibus

dicatur hunc articulum, vel hos articulos, nec plures, nec paucio-res ad salutem creditu esse necessarios. Nam hoc innuere viden-tur dicentes : *postquam aliquis articulus probatus sit sub ratione veri, superesse probandum sub ratione simpliciter necessarii, quod similiter præstandum sit verbis scripturæ, quæ nunquam pariter posita aliô mo-dô accipiantur, & contra quorum allegatum necessitatis sensum neque-at afferri ratio probabilis in contrarium.* Cap. VI. Motiv. ad Ernestum Hassiæ Landgravium. Hanc conditionem ipsi exigunt ab omni-bus protestantibus, utpote ad quam præstandam ipsi sese ad-strinxerint. Sed profectò nullus, quod ego quidem sciam, è ge-nuinis Protestantibus, hoc unquam dixit scripsitvé vel expressis, vel ejusmodi verbis, ex quibus rectè possit colligi. Non igitur té-nentur Protestantes ex hoc capite id præstare, sed nec ex alio, ut tenent, necesse est. Nam validè se tueri possunt túm aliis rationi-bus, tùm verbis Augustini, apud Pseudo-Augustinianéæ methodi fabros autoritatis irrefragabilis, qui jam olim Maximo, Ariano-rum Episcopo, exigenti modô Walenb. expressum testimonium adorationis Spiritui S. exhibitæ vel exhibendæ, rectè respondit: *Quasi non ex iis quæ legimus, alia etiam, quæ non legimus, intelliga-mus.*

§. 17. Equidem non diffitemur minus hîc difficultatis at-que contentionum fore, si quemadmodum in Scriptura satis perspicuè sunt revelata dogmata fidei, sic cujusque eorum ex-pressis verbis inculcata esset ad salutem necessitas. Nunc verò (uti Theologi Rintelenses in sua illa χρυσολογίαις syncretisticis af-fabrè instructa epistola Apologet. loquuntur p. 125.) Scriptura ipsas res, quo Spiritui S. visum est ordine revelasse contenta, num & quanta illarum credendarum in respectu ad salutem sit neces-sitas, sæpius tacet quàm commemorat. Non tamen existiman-dum est, nos penitus hîc destitui necessariâ scripturæ informatio-ne & doctrinâ. Nisi enim ex illa etiam cujusque articuli ad salu-tem doceri posset necessitas, actum esset de fundamento fidei. Tantum expressis ubique verbis non ait, hoc vel illud creditu ad salutem necessarium esse; quæ interim necessaria sunt, iis phrasi-bus descriptionibus, proprietatibus explanat, ut eorum cum præ-stituto fine necessariam conjunctionem, sive ἀμέσως, sive inter-

me-

mediâ alius articuli necessitate, promptum sit conjectare. Hoc ipsum est, quod Augustinus innuit, dicens, nos ex iis, quæ legimus, alia etiam, quæ non legimus, intelligere. Quod si igitur ita res sese habet, uti omninò habet, minori negotiô, quàm putant Walenb. necessitatem articulorum nostrorum ostendemus. Legimus in Scripturis Jesum Christum esse fundamentum, legimus hæc scripta esse ut credentes in eum, habeamus vitam æternem. Sic inqvam legimus, ita scriptnm est. Ex hoc intelligimus, & necessariò qvidem intelligimus, simulq; probam9 non nisi per fidem ad vitam æternam nos in ædificari posse fundamento salutis nostræ Christo. Qvæcunq; igitur dogmata ad fidem salvificam reqviruntur ita, ut sine illis vel existere, vel subsistere neqveat, sunt necessaria seu articuli necessarii.

§. 18. Fides salvifica, sensu styloq; Biblico, est fiducia, Rom. IV. 21. Ephes. III. 12. qvâ homo peccator Mat. IX. 13. 1. Tim. I. 15. 16. confidit Matth. IX. 2. Joh. XVI. 33. DEum velle misereri propter Christi meritum Rom. IV. 20. 25. c. XI. 32. Gal. IV, 4. 5. 1. Tim. II. 4. Act. IV. 12. ejus in individuo Gal. II. 20. 1. Tim. I. 16. 2. Tim. I. 12. & vitam æternam ipsi donare Joh. III. 16. Tit. III. 7. 1. Pet. I. 9.

§. 19. Jam mihi qvæso attende homo Christiane. I. Audis fidem salvificam esse fiduciam. Debes itaq; si salutis æternæ cupidus es, fiduciam concipere. Hîc ne errorem erres exitialem, opus tibi est ductore, qvi te ducat in omnem veritatem. Sed hunc nuspiam inveneris extra Scripturã, qvàm ideò nonnulli, & meô qvidẽ judiciô non malè, appellant fundamentum instructionis. Itaq; hoc in negotio indicio & judicio Scripturæ unicè nitendum standumq; tibi, & omninò credendum est, eam esse ipsissimum, infallibile atq; omnimodè perfectum verbum Dei, cui hodiè post sublatas prophetias 1. Cor. XIII. 8. unicè attendendum, ita, nt nulli, neq; Angelo de cœlo extra & præter verbum scriptum, aliqvid annuncianti in negotio fidei tutò credendum sit monitore Apostolo Gal. I. 8. Qvamobrem ut fiduciam concipere, qveas salutarem, sinceram & ἀμετάπτωτον omninò necesse est, ut de SCRIPTURÆ S. Θεοπνευςίᾳ, INFALLIBILITATE ATQVE PERFECTIONE OMNIMODA sis persvasissimus,

§. 20. II. In DEUM. Vides hic præprimis tibi necesse esse, ut nôris esse DEum. Nam accessurum ad DEum oportet credere DEUM ESSE, inqvit Apostolus Heb. XI. 6. Nisi hoc ex animo credas, ad DEum nec accedes, nec accedere unqvam poteris. Sed nec in eum poteris firmâ recumbere fiduciâ, nisi teneas Eum esse (α) MISERICORDEM, qvi velit omnibus miseris gratiosissimè succurrere, modò ipsi suam agnoscant miseriam, & ordini divinitùs præscripto parentes Salvatoris implorent operam. (β) OMNIPOTENTEM, qvi omnia efficiat & possit efficere, adeòq; sibi piè confisos & morigeros salvare, impiè adversantes & refractarios damnare. (γ) ÆTERNUM qvi cum semper idem sit, atq; aliꝰ non fiat non nisi uno saltē modo de eo sentiendū sperandumq; esse, posse illum etiam æternùm vel beare, vel damnare. (δ) VERACEM, qvi verbis apertis absq; simulatione & hypocrisi qvid velit indicet, & qvod vel promisit, vel comminatus est, certissimè præstet. (ε) OMNISCIUM ET OMNIPRÆSENTEM, qvi omnes mortalium cogitationes & actiones perfectè habeat cognitas, & ubivis locorum & omnibus nostris actibus tremendâ suâ majestate adsit. (ζ) SANCTUM. Sanctitatem Dei credere, fiduciæ adeò necessariū est præsupponi, ut Deum nemo cogitare possit, nisi simul sanctum cogitet. Ex formæ ac harmoniæ necessitate seqvitur, ut non tantùm qvod & qvid sit, sed etiā qvis sit ille DEus agnoscas, adeòq; ex fidei connexione, DEum esse TRINUNUM sive UNUM & TRINUM, qvod ideò credendum est, qvia Scriptura expressè testatur *Eum non habere patrem, qvi non habeat Filium* Joh. VIII. 19. 1. Joh. II. 23. *qvi non habet Spiritum Christi, non esse Christi Rom. VIII. 9.* & à cognitione diversarum in Deo personarum salus disertè suspenditur Joh. XVII. 3. 1. Joh. V. 11. 12. Hinc patescit hujus articuli cognitionem & fidem omnibus salvandis esse necessariam in V. & N. Testam. Nam si homines sub V. T. non cognoverunt Filium & Spiritum S. non habuerunt nec Filium, nec Spiritum S. Si non habuerunt, nec Patrem habuerunt, adeòq; non fuerunt verè fideles, nec salvati. Confer c. XV. Act. ubi cum Pseudo-Apostoli plura objecta, & creditu & factu necessaria esse contenderent, respondebant Apostoli v. 11. *se una eademq; illa fide salvatum iri, qva salvati sunt Patres.* Nec

dubium

dubium est, qvin Spiritus Christi, qvi fuit in Prophetis, vaticiniaq́; Prophetica illis & per illos aliis interpretatus est 1. Pet. I. 10. & Prophetæ ἀπ' αἰῶνος Luc. I.70. testimonium illud de SS. Trinitate Jes. VI. 3. qvod idem Spiritus S. de Patre, Filio & se dictum esse in N.T. declarat Joh. XII. 41. Act. XXVIII. 25. eodem modo in V. qvoq; Testamento (qvoad rem ipsam, non rei evidentiam & claritudinem N. T. fidelibus reservatam) exposuerint. qvo Christus & Apostoli illud in N. T. exposuerunt. Nec minoris necessitatis est credere IMMORTALITATEM ANIMÆ, RESURRECTIONEM CARNIS, EXTREMUM JUDICIUM, VITAM AC MORTEM ÆTERNAM, qvæ adeò arctè cum agnitione DEI connectit Salvator, Matth. XXII. 32. ut neget credi posse DEUM ESSE, qvin credatur illos etiam ESSE, qvorum DEus DEus est, adeòq; Abrahamum, Isacum, &c. qvanqvam mortuos, adhuc, ut habet Lucas, vivere El. c. XX. 38. adeòq; resurrecturos. Si enim (non solæ animæ, sed) personæ Abrahami &c. Deo vivunt, hoc est coram oculis Divinis. certò futura ut præsentia conspicientibus, vivunt. (confer Marc. V. 39.) Ergò revera resurrecturi sunt. Atq; hæc causa esse videtur, cur Apostoli in suis conversionibus hos articulos de novissimis ordine qvasi analytico semper substraverint doctrinæ de Christo Act. XVII. 18. & 31. c. XXIV. 15 Nemo sanè de salute in Christo anxius erit, nisi qvem novissima perculerint. Sensus peccati & metus pœnæ hîc qvasi catenam ac circulum faciunt, ideò hæc doctrina expressè inter fundamenta numeratur Heb. VI. 1.

§. 20. III. GRATIOSUM PROPTER MERITUM CHRISTI. Ut hîc rectè credas, necesse est te nosse QVIS SIT CHRISTUS, nempe Θεάνθρωπος sive UNA PERSONA, in qva divina & humana natura sibi ita sint unitæ, ut Deus & Homo constituant unum ὑφιστάμενον, unum Mediatorem. Hæc UNIO si ignoratur, tunc aut objectum fidei periculosè duplicatur, aut fides fit vaga, & hoc ipso nulla, qvia non certo fundamento nititur. Sicut autem de VERITATE DIVINÆ NATURÆ liqvidò constare opotet, eò qvòd aliàs firmiter credere non possimus infinitæ Dei justitiæ pro nobis plenè satisfactum; ita neutiqvam dubitandum de VERITATE HUMANÆ NATURÆ, qvod

aliter redimi non potuerimus nisi per passionem & mortem Pontificis N. T. qvam ut subiret pro nobis, necesse fuit esse verum hominem, & hominem qvidem per se non obligatum legi, utpote planè ἀναμάρτητον, cui ἀναμαρτησία conceptionis puritatem præsupponi clarum est. Spectat igitur huc Christi, tanqvàm hominis veri CONCEPTIO ET NATIVITAS ex Maria virgine. Deinde, ut firmiter credere possis, DEum propter Christi meritum TIBI fore gratiosum, necesse est, ut teneas Christum RATIONE INTENTIONIS, MERITI ET ACQVISITIONIS ESSE SALVATOREM VNIVERSALEM, id est omnium, qvocunq; locô & tempore viventium hominum, ut possis in individuo de Te subsumere: Christum tuũ esse Salvatorem obedientiâ suâ activâ & passivâ, qvod pertinet ad ipsam fidei naturam & constitutionem intrinsecam, qvæ firma esse non potest, absq; præsupposita universalitate meriti, ejusdemq; effectu absoluto, qvi est PLENISSIMA SATISFACTIO pro omnibus hominum peccatis, & reconciliatio DEi, qvi cum penitus, antea à nobis esset aversus, jam in respectu ad meritum Christi, sive propter meritum & satisfactionem Christi seriò vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, qvô nomine omnibus offerri curat media sufficientia ad salutem perveniendi. Pertinent huc articuli de Christi PASSIONE, MORTE, SEPVLTVRA. DESCENSV AD INFEROS, ASCENSV in cœlos ET SESSIONE AD dextram DEI, qvatenus spectantur non ut actus purè historici, sed ut sunt partes officii mediatorii. Ac de passione, morte, atq; ad eã spectante sepultura rem puto esse planam. De *descensu ad inferos* dubitare non poterit, qvi cogitabit, non nisi morte victoriosa nobis salutem recuperari potuisse, adeó ut nisi victria secuta fuisset, nos redempti non essemus. Hinc ipse Calvinus in Harmonia p. 374. dicit: *Res non levis momenti erat scire, paratam esse à Filio Dei de morte victoriam, in qvo vertitur salutis nostræ summa.* Sic Rivetus in Catholico orthodoxo. fol. m. 282. dicit, qvod *articulus iste doctrinam tàm necessariam contineat, ut nullatenus omitti debeat.* Qvod verò *Resurrectio* sit articulus necessarius inde patet, qvia Scriptura testatur à Resurrectione Christi salutem & resurrectionem

63

nem nostram pendere, adeò ut sine illa vana esset nostra fides, & nos adhuc essemus in peccatis 1. Cor. XV. 15. 16. 17. Rom. IV. v. ult. 1. Pet. I. c. III, 21. Idem judicium esto *de ascensu Christi in cœlos & sessione ad dextram Patris.* Nam hæc adeò necessariò ad salutis nostræ fundamentum in Scriptura dicuntur pertinere, ut dicatur *qvia ipse vivat, & nos vivere debere Joh. XIV. 19. qvia ipse consecutus sit gloriam, qvod & nos eò simul venturi, & illam visuri c. XVII. 24. qvæ ipse abiens nobis locum cœlestis mansionis præparaveit. c. XIV. 2. 3. qvod ipso ascendente ad patrem suum & nos simul ascensuri ad Patrem nostrum c. XX.* 17. qvod ipse ideò sedeat ad dextram Patris, ut nobis dona Spiritualia largiatur, nobis præstò sit, preces nostras exaudiat, nos justificet & glorificet im æternum Ephes. IV. 8. 10. 11. seqq. Hebr. VII. 24. 25. adeò ut isthæc omnia intermissa fuissent; *nisi ille ad Patrem abiisset. Joh. XVI. 7.* Cum igitur Scriptura innuat à sessione Christi ad dextram Dei Patris pendere nostrã salutẽ & gloriã æternã, adeò ut sine illa hâc non potiremur; inde colligimus, sessionem illam necessariò pertinere ad fundamentum salutis nostræ, seu esse articulum fundamentalem. In hac verò sessione cum virtualiter contineatur omnipræsentia carnis Christi, hinc & ipsam pro articulo fundamentali habemus.

§. 21. TIBI. Hîc non tantùm necesse est ut credas, te esse gratiæ indigum, verùm etiam ad eam modis omnibus tibi contendendum. Sed ut illud non rectè credes, nisi præcognoscas PECCATVM ORIGINIS, qvod teterrimum malum qvi non rectè intelligit neq; cogitat se naturâ ita penitus esse corruptum, ut boni nihil in rebus præsertim spiritualibus EX RATIONIS SVÆ VIRIBVS qveat efficere, ad verum fidei fundamentum sincerè neqvit contendere. Sicut architectus, qvi non intelligit lapidis sabulosi, vel ligni cariosi defectum de solidiori fundamento non est solicitus: Ita neq; hoc facere poteris, nisi cognitam habeas DOCTRINAM de POENITENTIA. Hæc itaq; uti est medium, conseqvendæ saluti prævium, maximopere est præcognitu necessaria, qvum Christus ipse se ideò resurrexisse testetur, ut prædicaretur pœnitentia & remissio peccatorum gentibus

qvibus-

qvibusvis Luc. XXIV. 47. qvum ipse eam docuerit, & Apostolos emiserit, ut docerent Marc. I. 15. c. VI. 12.

§. 22. Hactenus tibi, homo Christiane, tradidi dogmata ad fidem generandam necessaria, ac illam qvidem materialiter ingredientia & intrinsecè constituentia exhibui in definitione; eidem verò necessariò præsupposita in §. subseqventib9 exposui. Jam accipe necessaria ad fidem conservandam, sive necessaria fidei conseqventia, sub qvorum nomine non ea saltem veniunt dogmata, uti optimè docet & loqvitur Hülsemannus in disput. de dogmat. necess. §. 61. qvæ ex doctrinis fidei intrinsecis ita deducuntur, ut iis in praxi negatis à posteriori fides destruatur. v. g. Si qvis fiduciam in Christum absq; studio Sanctæ vitæ integram servari posse doceat: Sed & ea, qvæ circa organica versantur, atq; ad fidem teneram corroborandam conservandamq; à Deo instituta sunt, qvalia sunt: Auditus & meditatio verbi, doctrina de Sacramentorum usu & efficatia &c. qvæ & similia, summâ necessitate iis, qvi profectùs in fide fecisse desiderant, credenda esse nemo negabit, præsertim qvum post fidem conceptam de ejus veritate cum Diabolo & carne homini pio sæpiùs confligandum sit, neq; omnibus, postqvam summa fidei capita complexi sunt, extemplô hinc migrare contingat ut latroni Luc. XX. *Sed sint tentationes subeundæ, ut exploratio fidei nostræ multò pretiosior fiat exploratone auri ad diem revelationis Christi* 1. *Pet. I. 7.* Qvàm necessariæ igitur sunt columnæ & compages turri in altum eductæ, ne turbinum aut imbrium vi rursum dejiçiatur, tàm sunt excitatæ fidei sustinentia Scripturæ dogmata, qvæ scutum fidei, gladium Spiritus &c. Apostolus appellat, nisi qvàm lignorum & lapidum contignatione domum concinnè extructam gaudemus, factô ventorum & maris impetu stratam velimus deplorare.

§. 24. Ad hanc classem pertinet (I) DOCTRINA DE ÆTERNA DVRATIONE ATQ; JVSTITIA EXECVTIVA DEI, pios ac fideles præmiis æternis, impios verò atq; infideles suppliciis perpetuò duraturis atq; inexplicabilibus certò affecturi, qvæ fulcra nisi supponantur fidei, citò iterum collabetur atq; deficiet, oppressa vi sensuq; vel voluptatum vel calamitatum hujus vitæ. (2) DOCTRINA DE SANCTITATE EFFE-

effectiva Dei, efficientis, vel efficere in nobis per media ordinaria intendentis, serioq; præcipientis studium sanctè pieq; vivendi, quod qui non sectatur, hoc ipso ostendit se non habere fidem veram, nec esse in numero sanctorum, quibus obtinget vitæ æternæ hæreditas. (3.) DOCTRINA DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM, quam doctrinam ideò tenere oportet, ne seducamur ab iis, qui negantes communionem proprietatum divinæ & humanæ naturæ negant communionem naturarum in se, negant Christum Deum & hominem esse in una persona, & consequenter aptum, qui genus humanum redimeret. In quem errorem si incidamus, actum est de fide nostra. (4.) DOCTRINA DE COMMUNICATIONE OPERATIONUM IN CHRISTO, cujus contrarium qui asserit ac propugnat, is actionum, circa salutem nostram occupatarum unitatem dirimit, consequenter agentis unitatem divellit, & tandem fiduciæ unitatem dissipat. (5.) DOCTRINA DE OFFICIO CHRISTI REGIO. Nisi enim credamus Salvatorem nostrum talem esse, qui perpetuò vivat & dominetur, eosq; quos redemit, tueri ac salvare possit & velit, facili negotiô fides in ipsum locata potest subrui, accedente præsertim hostium crucis Christi furore. (6) DOCTRINA DE OFFICO CHRISTI PROPHETICO. Nam ad fidem corroborandam plurimum facit nosse ac credere Christum vi hujus officii esse salutis præconem universalem, qui per ministros suos curet omnibus ostendi viam salutis. (7) DOCTRINA DE ECCLESIA, quam nos cognitam habere oportet, ut certò statuere possimus, nos esse inter eos, quos Deus per verbum vocaverit, fidem justificaverit, sacramenta obsignaverit, & hoc modo allegerit inter suos, seu peculium suum, ut Apostolus loquitur Tit. II. 14. (8.) DOCTRINA DE EFFICACIA VERBI, quæ quidem non est per se cognitu necessaria ad conservandam fidem, sed ad excludendam heterodoxam de ministerio verbi opinionem, quâ imbibitâ admissâq; medium conversionis & confirmationis in fide ordinarium, ineptum efficitur. (9.) DOCTRINA DE SACRAMENTIS, quæ credenti, & in fide jam viventi necessaria est ad id, ut per baptismum adultis quidem fidem obsignari, ut Eunucho Act. VIII, 37. c. X, 47. Cornelio & do-

mesticis, per usum Cœnæ confirmari ita, ut Christum pro quolibet individuo corpus tradidisse, fudisse sanguinem Luc. XXII. 19. à singulis credatur, adeoq; constet, quibus mediis fiduciæ in Christum conceptæ alimenta conferantur, ne qua contabescat, qua de re singulos curam suscipere, summoperè necessarium est.

§. 25. Est quod hoc loco non inutiliter moneam, nimirum, quæ ego vocavi consequentia fidei, appellari ab aliis orthodoxis Theologis articulos fidei secundarios, eò quod non sint præcisè ad fidem salvificam necessaria. Hanc ad classem deinceps omnia dogmata referunt, quæ non nisi ex accidente necessaria sunt, ad prohibendum dogma contrarium, fidei perniciosum. e.g. capita de imensitate, infinitate, spiritualitate Dei; de proprietatibus characteristicis, quibus distinguuntur personæ divinæ inter se, de processione Spiritus S. à Patre & Filio, de decreto electionis & reprobationis, fidei & infidelitatis intuitu ab æterno factæ, de justificatione per meriti Christi imputationem, exclusâ justitiâ inhærente. B. Hunnius in διασκέψει ita hac de re mentem suam exponit: *Articuli quidam fundamentales sunt, non UT FIDES SIT. Sed ad præcavendum falsas opiniones fidei contrarias, non ratione suæ positionis, sed oppositæ negationis, non propter se, sed propter alios articulos; sive per accidens, non per se, quatenus ipsi suô concursu fundamentum non efficiunt, saltem præcavent, ne error oppositus fundamentum per alia dogmata rursus destruat, ut non tàm dogma ipsum sit fundamentale, quam contrarius error, quem dogma avertit ac tollit.*

§. 63. Deinde & hoc notari velim me distinguendo credenda fundamentalia in antecedentia, constituentia & consequentia fidem minimè pollicem premere novatoribus, eâdem distinctione, sed sensu longè aliô utentibus. Nam hi sola illa dogmata, quæ fidem constituunt, dicunt esse fundamentalia, antecedentia verò & consequentia non pertinere ad fundamentum, adeoq; salvô fundamentô posse vel ignorari vel negari. Ego verò, secutus B. Hülsemannum, Theologum dum viveret cordatum, gravem, accuratum, & quod caput rei est, ὀρθοδοξότατον, Præceptorem meum etiam post fata honoratissimum, tùm quæ necessariò antecedunt fidem constituendam dogmata, tùm quæ constitutam ita consequuntur, ut illis remotis fides iterum collabatur, assero

credi-

creditu ad salutem necessaria, adeoque articulos fidei fundamentales.

Θέσις VI. Omnes articuli fundamentales sunt necessarii, non tamen omnes ac singuli eodem necessitatis genere ac gradu.

Ἔκθεσις. §. 1. Esse de essentia articuli fundamentalis ut sit necessarius, est in confesso. Necessarium autem, ut constat, aliquid dicitur, respectu finis, qui hoc loco vel est ultimus, salus æterna, vel intermedius, sine quo ultimus obtineri nequit, Fides salvifica. Utriusque finis respectu articuli fundamentales sunt ac dicuntur necessarii, quandoquidem mutuâ quadam σχέσει utrumq; finem respiciunt ac sibi conjungunt, adeò ut quicquid cognitu aut creditu ad fidem salvificam fuerit ullô modô necessarium, id perinde sit necessarium ad salutem, & quo ignorato aut non credito nihilominus obtineri queat salus, ejus nec ad assequendam fidem notitia simpliciter requiratur. Dico simpliciter. Nam duplex est à causa finali necessitas, ut docent Metaphysici, alia nempe à suppositione finis simpliciter, quam vocant necessitatem indigentiæ, alia â fine commodius vel tutius consequendo, quam vocant necessitatem expedientiæ. Cum igitur ita res sese habeat, ego etiam jam antè dixerim, credendum aliquid necessitate vel indigentiæ, vel expedientiæ, simplici vel hypotheticâ nunc transferendo thesin ad hypothesin, actumq; exercitum applicando ad signatum, agam de tanti momenti negotio paulò fusius.

§. 2. Scholastici, eosq; secuti Pontificii communiter distinguere solent inter articulos fidei necessarios necessitate medii, & necessarios necessitate præcepti. Dicunt autem id necessarium necessitate medii, quod est absolutè necessarium ad consequendum finem, & sine quo non acquiritur finis. Gibbon de Burgo dicit, *illud dogma esse necessarium necessitate medii, sine quo etiam inculpabiliter ignorato finis ultimus obtineri nequit* in de Luthero Calvin. Schismat. disp I. q.I. §. 10. n. 4. *Articuli necessarii necessitate medii dicuntur, sine quibus creditis nullus absolutè secundum legem Dei ordinariam salvari potest*, inquiunt Walenburchii. *Necessarii necessitate præcepti dicuntur, qui ex præcepto divino credi quidem*

dem debent , *sed sine quibus aliqui absolutè salvari possunt, habitis scil. necessariis necessitate medii*, dicunt iidem, adjicientes: *Non putamus necesse, ut hæc duo separemus, cùm inter Christianos , ubi sufficienter & abundanter promulgatum est Evangelium Christi, nullus sit, qui non teneatur credere omnes articulos necessarios, quos Deus præcepit credi in Exam.* Princ. III. p.m.163. Notabilis sanè nec improbanda appendix. Aliàs hæc distinctio sensu scholastico meritò est repudianda, utpote quo Pontificii articulos juxta scripturam necessitate medii necessarios, perperam negant istâ necessitate necessarios , & convertere volunt in necessarios solum necessitate præcepti.

§. 3. Non possum autem qvin hic obiter immania opinionum inter Pontificios circa dogmata, qvæ necessitate medii necessaria volunt, notē divortia, nec dū definitione Synodi Tridentinæ composita. Disputant enim (1) Qvidam; *non esse necessarium necessitate medii aliqvid credere.* (2) Qvidā *fidē eorū supernaturalē, qvæ natura alioqvi qvodammodo constant*, ut esse Deum, *non esse de necessitate medii.* (3) Qvidam; *sufficere ut explicitè teneatur Symbolum Apostolicum.* (4) Qvidam; *non sufficere, sed & reqviri notitiam explicitam decem præceptorum, & qvorundam Sacramentorum* (5) Qvidam; *ne qvidem explicitam Symboli notitiam esse de necessitate medii, qvod multa in eo contineantur ex præcepto tantùm credenda, sine qvorum explicita fide salus possit obtineri* (6) Qvidam; *necessarium esse necessitate medii credere DEum Triunum, & Christum DEum & hominem,* (7) Qvidam; *non esse id necessarium, nisi ex præcepto.* (8) Qvidam; *non esse necessarium hac necessitate explicitè credere mysterium incarnationis, passionis & mortis Filii Dei, sufficere ad salutem fidem implicitam; si explicitè credatur esse Christum mediatorem, id est, esse aliqvem, qvi nos Deo reconciliet.* (9) Qvidam; *Sufficere hoc qvidem ad justificationem, sed non ad conseqvendam salutem æternam.* Dominus Ursinus in Regula credendi p. 28. dicit specimen egregii hujus consensus extare apud Coningium de actibus supernat. disp. XIV. Dub. 8. & 9. Adi Dn. D. Calovii Tom. I. Syst. Theol. c. V. Sect. I. p. 786. & confer Dn. Haberk. disp. tert. §. 49. contra Walenburchios, qvos egregium hunc consensum scil. præcipuè considerare velim, ut deinceps desinant nostræ Ecclesiæ incertitudinem

quoad

qvoad articulos fundamentales objicere, cum hæc nulla sit, & ipsi domi habeant qvod agant, emendent, explicent, determinent, concilient. Hinc simul patere arbitror, me rectè §. præced. dixisse, distinct. inter articulos necessarios *necessitate medii & præcepti* sensu Scholastico repudiandam esse. Qvod si verò hæc ipsa distinctio rectè explicetur & applicetur, commodè retineri potest non abnuentibus Theologis Orthodoxis, eâ utentibus in art. de B. O. Qvoad præsens negotium distingvendum arbitror inter *medium essentiæ* & *medium excellentiæ*. Medium *essentiæ* voco, sine qvo finis simpliciter obtineri neqvit; Mediũ verò *excellentiæ*, per qvod finis facilius tutiusq; obtinetur. Coincidit igitur mediũ essentiæ cũ necessit. indigentiæ, mediũ cum necessit. expedientiæ.

§. 4. Ante verò, qvàm hæc applicem, præsuppono contra Scholasticos nonnullos fidem aliqvorum mysteriorum supernaturalium esse necessariam necessitate medii ad salutem. Heb. XI. 6. *sine fide impossibile est placere Deo.* ubi τὸ impossibile, ut ipsimet Scholastici fatentur, necessitatem medii denotat. Accedat & ratio. Ut homo in suum ultimum finem supernaturalem tendat, debet tàm ipsum, qvam media, illi obtinendo necessaria, cognoscere. Atqvi fieri planè non potest, ut hæc sola Ratione naturali liqvidò cognoscantur; Nam Ratio sibi relicta non cognoscit DEum elegisse homines ad participationem gloriæ cœlestis, neq; asseqvitur, vi sibi inditâ ac naturali, media qvibus homo eò pervenire debeat; hæc enim supernaturalia sunt secundũ entitatem. Ergò ad conseqvendam vitam æternam necessarium est ut aliqva, captum naturalem excedentia, atq; ex sola Revelatione cognoscibilia, credantur.

§. 5. Hoc præsupposito dico PRIMO. Qvæcunq; dogmata definitionem fidei materialiter ingrediuntur e. g. capita de universali benevola voluntate Dei erga genus humanum lapsũ, de universali merito Christi, de seria Dei intentione applicandi Christi meritum omnibus, & dandi applicationis medium, fidem scil. omnibus, de justificatione per unicum Christi meritum fide apprehensum, habent necessitatem credendi simplicem & catholicam qvoad singula ordinariè salvandorum individua, singulaq; tempora. Ratio est, qvod juxta æternum Dei bene-

placitum non possimus salvari nisi per fidem in Christum Iesum Act. IV. 12. *Una autem est fides, sicut unus Dominus Epes. IV.* Licet verò qvoad literam demonstrari non posit, fideles V.T, de capitibus istis tàm perspicuè atq; nos fuisse informatos, unitas tamen fidei non patitur tanti momenti capitum distinctam notitiam illis detrahere Act. XV. 11. Hinc illud: *Tempora sunt patribus, non variata fides.* Non igitur est, qvod qvis dicat plures progressu temporis factos articulos fidei; qvi antea non fuerint v.g. *qvod Jesus Nazarenus sit Messias.* Nam progressu temporis facta tantùm est expressior, clarior, atq; uberior qvorundam explicatio, qvæ magis implicitè & obscurius primò tradita fuerunt, sive qvæ antea implicitè includebantur & continebantur in articulo aliqvo generaliter tradito, ipsis articulis in sua substantia & qvidditate semper iisdem manentibus. Sic Iesus Nazarenus, Messias semper idem est, licet tempus sit vel futurum, vel præsens, vel præteritum, ac modus & περίστασις sint aliæ atq; aliæ. Neque hîc nobis Dn. D. Danhauerus adversatur, dicens, *qvod fundamento fidei Adamicæ Protevangelio accesserit fides* de Messia virginis Filio, *& huic* de Messia nascituro in Bethlehem, *& huic*, de Iesu Nazareno &c. in Sigal. p. 202. Nam sicut ipse distingvit inter fundamentum necessariò credendum, qvod semper idē sit, & inter articulos fundamento superstructos, qvi possint pro tempore variare; sic ego distingvo inter multiplicationem articulorū fundamentalium specificam & numericam; illam, qvoniam semper una est fides Ephes. IV. 5. Act. XV. 11. nego, hanc concedo. Hinc Dominus Danhauerus ipse in stylo vindice æternæ process. Spirit. S. de extensione vel extensibilitate credendorum loqvens, asserit, ejusmodi articulos *specie qvidem novos, Revelatione tamen & autoritate internâ ipsis*, in qvibus virtualiter latent, *SS. literis coævos vid. vid. p. 240. styl. V.*

§. 6. Dico SECUNDO; Qværcunq; dogmati, definitionem fidei materialiter ingredienti, immediatè substant, habent, ut dogma, cui ita substant, necessitatem credendi simplicem. Ratio est, qvoniam unum sine altero esse vel cognosci crediq; salutariter neqvit v. g. *Benevolæ voluntati Dei substat ejus essentia, qvod sit; satisfactione Christi, ejus divinitas,* per qvam ad eam præstandam

dam fuit sufficiens; *deinde ejus humanitas*, per qvam ad illam morte suâ consummandam fuit habilis. Qvâ igitur necessitate credendum est salvando, DEum sibi benè velle, eâdem ipsi credendum, Deum esse, imò nisi hoc credat, illud credere planè non potest. Qvâ necessitate credit Christum pro se satisfecisse, eâdem ipsi credendum, Christum esse *Θεάνθρωπον*.

§. 7. Dico TERTIO, Etsi qvædam ex natura rei ad fiduciam in Christum conseqvendam non videantur necessaria, tamen, qvia Scriptura cum fiducia in Christum tàm arctè ea conjunxit, ut sine salutis dispendio ignorari neqveant, habere censenda sunt eandem cum prioribus necessitatem. Talia sunt pleraq; mysteria e. g. *Trinitatis*, cujus notitia non videtur evidenti necessitate ad excitandam in Christum fiduciam reqviri; Qvum tamen Scriptura testetur, *eum, qvi non habet Filium nec Patrem habere Joh. VIII. 19. 1. Joh. II. 23. Qvi non habet Spiritum Christi, non esse ejus Rom. VIII. 9.* & conseqventer, qvi unam Trinitatis personam non agnoscat, in nullam earũ posse fiducia ponere; necessariò statuendum est, tametsi talium mysteriorum influentia in fiduciam nobis non pateat qvomodo & qvalis sit; attamen ea mysteria credenda, ideò, qvia Scriptura cum manifesta aliqva fidei causa adeò arctè copulaverit, ut sine utriusq; labe neutri fiducia derogari qveat. Ejusdem generis sunt mysterium *Incarnationis* de qvo 1. Ioh. IV. 3. *Resurrectionis* Matth. XXII. 32. &c.

§. 8. Dico QVARTO: Qvæ definitionem fidei materialiter non ingrediuntur, nec immediatè ei substant, neq; tàm arctè in Scriptura cum fiducia in Christum conjunguntur, habent necessitatem credendi hypotheticam & particularẽ, adeòq; non semper, nec ab omnibus ea credi oportet fide explicitâ, sed possunt salvâ salute ignorari. Nec propterea hi articuli desinunt esse fundamentales ac necessarii, licet non habeant eandem cum prioribus illis credendi necessitatem. Nam verè fundamentales eâ communi ratione sunt & manent, qvâ omne illud dogma fundamentale meritò statuitur, sine qvo homo salvari neqvit, qvamvis alio atq; alio modo & respectu. vide Dn. Haberkornii disp. XII. de Syncret. ubi contra Syncretistas egregiè probat, qvod qvamvis hic vel ille articulus, ab homine, ratio-

ne

ne certi sui status, sine salutis suæ dispendio ignoretur, nihilominus necessarius & fundamentalis fidei articulus permanere possit, & quidem (1.) ratione certi temporis (2.) ratione certi modi & communis ordinis divinitus instituti (3.) ratione systematis Theologici (4.) denique ratione tentationis invadentis. Adeoque ineptissimè ratiocinantur qui sic colligunt: *Hic vel ille articulus non est omni salvando, nec simpliciter creditu necessarius. E. non est fundamentalis. E. potest quocunque modô ignorari ac planè in dubium vocari vel negari.* Confer. Dn. Danhaueri Styl. Vind processf. Spirit. S. ubi articulos fundamentales sub imagine epuli exhibens dicit; stolidè ineptire ejusmodi consequentias: *Hoc alimentum non est necessarium termino vitæ, E. nec viæ; non naturæ ad esse simpliciter E. non certo statui, ætati, sorti ad benè esse; non est necessarium ad vitæ lætitiam comparandam. E. nec ad tutelam à morbo, lue, peste; non necessarium in tanta quantitate stomacho debiliori ac australi E. nec fortiori, septentrionali* &c. vid. p. 230.

§. 9. Antequam hâc provincia decedam, unum atque alterum adhuc monendum est. Dixi § præced. non omnia dogmata fundamentalia ab omnibus credenda esse fide explicitâ. Tacitè igitur innui, sufficere quorundam fidem implicitam, quô nomine non intelligo carbonariam illam Pontificiorum fidem, quâ qui credit vera esse, quæcunque credit Ecclesia, credere dicitur omnes fidei articulos, etsi omnes fortè ignoret aut non credat. Talem, inquam, fidem non intelligo, sed cum Theologis nostris rejicio ut σιδηρόξυλον, quicquid pro ejus defensione afferat Gibbon de Burgo de Luthero-Calvin disp. I. q. 1. §. ultim. sed fides implicita mihi est, *quando propositio aliqua creditur, quæ in alia explicitè credita continetur virtute*, quod, uti ait Coningius Dn. Ursino in regula fidei citatus p. 25. fieri potest per significationis æquipollentiam & *necessariam consequentiam*, ut, qui peccatum originale credit, consequenter, necessariò implicitè credit liberi arbitrii ἀδυναμίαν. Quando itaque nonnulli Theologi orthodoxi dicunt, *omnes articulos fidei esse omnibus Christianis ad salutem scitu necessarios*, id non est intelligendum de explicita & distincta omnium articulorum notitia, adeò omnibus etiam Laicis & semper necessaria, ut sine illa omnes salutem æternam peremptoriè per-

perdant. Verùm omnibus etiam laicis sunt scitu & creditu necessarii *implicitè* in articulis principiatis, qui ex anterioribus articulis ceu principiis immotis eliciuntur & deducuntur, seu in articulorum centro, quod ex articulorum priorum peripheriis producitur, hæque in illud influunt, ut loquitur Dn. Haberkorn in Disp. XIII. de Sync. p. 439.

§. 10. Cum dixi salvâ salute quosdam articulos posse ignorari, innui ignorantiam simplicem, dictam aliàs ignorantiam puram, καθ' ἀπόφασιν seu negationis, quæ conjuncta sit cum προθυμίᾳ seu promptitudine veritati monstratæ obsequendi, & cæteroquin præsupponat fundamentum principalissimum & ultimum Christum Jesum, verâ fide apprehensum. Hanc ignorantiam circa quosdam articulos puto innoxiam, sicut Nathanael hac ignorantiâ laborans circa personam Jesu Nazareni nihilominus veri Israelitæ elogio à Salvatore nostro mactatur Joh. I. 47. Ignorantiam verò affectatam, dictam aliàs ignorantiam κατὰ διάθεσιν seu pravæ dispositionis, quæ præsupponit solidiorem & sufficientem veritatis ostensionem, & utplurimum conjuncta est cum pertinaci & præfracta veritatis negatione, & erroris contrarii positiva defensione, hanc, inquam, ignorantiam, sive voluntaria sit *directè*, sive *indirectè in causis suis*. v.g. in Rationis humanæ prædominio, consuetudinis inveteratæ defensione, functionum terrestrium nimiâ administratione, & voluptatum mundanarum consectatione, noxiam & damnificam arbitror, ideò, quòd negâs veritatem à Deo revelatam, Deum faciat mendacem, eandem impugnans, Deum ipsum, à quo veritas illa est indivisibilis, impugnet, negligens vel non curans cum possit ac debeat, contraveniat mandato Dei, exigentis à nobis profectum in bono Matth. XXV. 14. seqq. Heb. V. 12. c. VI. 1. II. Pet. III. 18 I. Cor. XIV. 20. Hinc elucescit, nihil quoquo modo ad fidem salvificam spectans, posse salvâ salute negari, vel protervè impugnari. Vide hac ipsa de re non malè loquentem ipsum Calvinistam Curtium in de Art. fundament. Sect. III. §. 2.

Θέσις VI. Articuli non fundamentales sunt partes doctrinæ Christianæ, quæ salvâ fide & salute possunt & ignorari & negari, vel saltem ignorari.

Εκθεσις. §. I. Tales articuli ſunt, recenſente B. Hunnio in διασκεψ. p. 42. *dogmata de lapſu & perpetua rejectione quorundam Angelorum, de confirmatione bonorum Angelorum, de hominis ante lapſum immortalitate, de irremisſibilitate peccati in Spiritum S. de Chriſti ſepultura*, (merè hiſtoricè ſpectata) *de mundo in tempore creato, de Eccleſiæ viſibilitate, aut inviſibilitate, de Eccleſiæ notis, de Antichriſto, libertate Eccleſiaſtica in ritibus &c.* Hæc & alia hujus generis complura, ſive neſciantur, ſive negentur, per ſe nihil noxæ fidei inferunt, ut quæ in ſua ſubſtantia nihilominus integra maneat, ſuis ſuffulta cauſis, ac dogmatis neceſſariis quorum nullum per ſui negationem hæc & ſimilia capita tollunt. Cum igitur ſalutarem fiduciam tàm in exſtructione, quàm in deſtructione nec poſitivè nec negativè attingant, nullo modô aut ſenſu poſſunt dici fundamentalia; imò ſi, quod res eſt fateri volumus, impropriè & æquivocè ſaltem dicuntur articuli fidei.

§. 2. Ad hanc claſſem non fundamentalium doctrinarum pertinent etiam variæ orthodoxorum de difficiliorum dictorum Biblicorum ſenſu, analogiæ fidei non contrariæ, ſententiæ. Item doctrinæ, quæ ſubnaſcuntur è quæſtionibus hiſtoricis, v. g. vere an autumno mundus fuerit creatus? Num rupto clauſtro virginali natꝰ Meſſias, nec ne? Quo in ſtatu aut πȣ̃ fuerit Lazarus antequam à Chriſto reſuſcitaretur. Huc etiam ſpectant hiſtoriæ Biblicæ, ut ſunt merè tales, & ex his natæ controverſiæ Chronologicæ, Topographicæ, Genealogicæ, aliæque doctrinæ ad ſufficientiam potius, ornamentum, & perſpicuitatem cœleſtis doctrinæ facientes, quàm necesſitatem. Denique hujus ordinis ſunt adiaphori ritus Eccleſiæ, in quibus doctrina de libertate à Chriſto parta utique fundamentalis eſt, ſed doctrina de ritibus ipſis ita comparata, ut ſalvâ ſalute posſit & ignorari & negari, v. g. doctrina de imaginibus in templis tolerandis, de trina in baptiſmo immerſione, de exorciſmo, de pane azymo an fermẽtato, de fractione panis, de privata confesſione, in quibus & ſimilibus punctis libenter adverſariis vellemus cedere, niſi libertas, in quam per Chriſtum ſumus aſſerti, & in qua ſtandum monet Apoſtolus, aliquid detrimenti caperet.

§. 3. Sunt, qui hæc & ſimilia dogmata Apoſtolum in-

digi

digitare putant per *ligna, fœnum, stipulas* 1. Cor. III. 12. Verùm Apostolum l. c. non tantùm *erronea, vana, curiosa non necessaria, doctrinæ fundamentali admixta, ipsam tamen non evertentia*; verum etiam *dogmata planè falsa, impia, blasphema, cum fundamento pugnantia* per illa superstructa *lignum, fœnum, stipulas*, intelligere, è visceribus textus luculenter probat Dn. Haberkornius disp. XII. de Syncret. p. 351. his potissimum rationibus (1.) Quia per aurum, argentum, & lapides pretiosos articuli fidei fundamentales cumprimis notentur. E. è contrario per lignum, fœnum, stipulas errores etiam fundamentales denotari (2.) quia etiam alibi in S. Scriptura per ligna, fœnum & stipulam ejusmodi dogmata & facta notari soleant, quibus salutis dispendium accersitur v. g. Matth. III. 10. & 12. II. Tim. II. 20. (3.) quia Paulus I. Cor. III. v. 15. dicat, talem superstructorem lignorum, fœni, & stipulæ detrimentum passurum esse, & salvatum iri, sic tamen, quasi per ignem scil. tentationis, crucis, agonis in morte ex S. Scripturæ luce clarius & penetrantius considerata, hæc enim in SS. literis passim per ignem significari. Quod si ergo homo taliter superstruens salvatur, stipulis & lignis illis non nisi per ignem combustis & consumptis; tum iisdem per ignem haud absumptis, sed præfractè retentis, & defensis, hominem detrimentum salutis passurum. Intelligendos igitur per lignum, fœnum, stipulam tales errores, qui salutis fundamentum evertant, faciantque, ut homo illâ excidat.

Θέσις. VIII. Non possumus cum Calvinianis, quà talibus, inire fraternitatem spiritualem, quia fovent errores fundamentales, ob quos tamen nec universim, nec simpliciter damnamus omnes, qui sunt in ipsorum Ecclesia.

Ἔκθεσις §. 1. *Calvinistæ quà tales*, ut olim hoc hominum genus meritissimus de harum provinciarum Ecclesiis Theologus D. Matthias Hoe, descripsit, *profitentur nominetenus doctrinam Evangelicam, sed à nobis genuinis Evangelicis planè dissentiunt, fovent sua peculiaria dogmata, horrendos ac tremendos errores, suas periculosas & blasphemas locutiones de Deo, illius omnipotentia, de Filio illius, de cœna, & similibus. Non sinunt sese ad Dei verbum adstringi, sed ad-*

dicti ſunt Rationi, Somniis, Revelationibus, omninò in Dei arcanum conſilium aſcendunt, imperſcrutabilia ſcrutantur, Dei omnipotentiam dimetiuntur, ſoli orthodoxi & perfectè Reformati videri volunt, accuſant nos contra multi inhærentis fermenti Papiſtici. Et qvanqvam palpabilium variè convicti ſint errorum, ejus tamen ingenii ſunt, ut offirment. Spiritu Dei ſeſe regi haud patiuntur, ſed progrediuntur ac magis & magis ſeſe diffundunt, ſerpunt veluti cancer, ſunt tenebriones qvi omnimodis fallaciis ſe inſinuant, ovile Chriſti clanculum invadunt, Evangelicas noſtras Eccleſias turbant, ſeducunt. Hanc deſcriptionem qvidem allatravit & impietatis inſimulavit Ludovicus Crocius Calviniſta Bremenſis, ſed non convicit.

§. 2. Fraternitas Spiritualis fundamenti loco habet unanimem in omnibus fidei ſeu doctrinæ Chriſtianæ articulis fundamentalib9 *ὁμοψυχιάν καὶ ὁμοψηφίαν* ſive cõſenſum, cuj9 effectus ſit ingreſſ9 in vitam æternã ratione doctrinæ planè inoffenſ9. Hunc conſenſum præſupponunt *tùm* Calviniſtæ offerentes nobis fraternitatẽ, qvãqvam neſcio qvã qvalemve. (Sic enim Synodici Dordr. act. p. 122. *In Germania Doctores noſtri pacem & fraternitatem NB. Eccleſiis Lutheranis qvidẽ obtulerunt,* (arrige aures Croci, qvi perperam negas Tuos fraternitatem ambiiſſe, in comm. proteſt. Sacro p. 582.) *Sed eorum Confeſſionem nunqvam receperunt, nec ſe pro Doctoribus Lutheranis haberi poſtularunt, nec unqvam in hoc conſenſerunt, ut Lutheranorum opinio in templis ſuis doceatur*) *tùm* ſyncretiſtæ, modis omnibus id agentes, ut dicamus Calviniſtis: Salvete fratres in Chriſto. Sed falſiſſimo illos niti principio ſatis me oſtendiſſe arbitror annotatis erroribus, qvos circa articulos fundamentales Calviniſtæ fovent, fundamentalibus. Nec opus eſſe arbitror, ut id ipſum operoſius adſtruam. Nam qvia rectum eſt judex obliqvi, ex oppoſita fundamentalium articulorum fidei definitione facilè agnoſci poteſt; qvi ſit error damnabilis ac intolerabilis, is ſcil. qvi vel *γυμνῇ κεφαλῇ* & aperta contradictione fundamentalem articulum arietat, vel conſeqventer ad eundem ſcopulum impingit. Unde dogma everſivum articuli fundamentalis, à qvo ad evertendum articulum neceſſarium pronâ & evidenti conſeqventiâ iri poteſt, eſt do-

gma

gma erroneum errore fundamentali. Nam uti dogma conseqventer fluens ex articulo fundamentali, homogeneum est & fundamentale, ita error conseqventer fluens contrà dogma fundamentale, fundamentalis est.

§. 3. Est tamen hîc luculenta differentia advertenda inter gradus errorum, & qvæ inde seqvuntur, pœnarum. Is sanè error, qvi arietat fundamentum, sive articulum aliqvem definitionem fidei materialiter ingredientem, eidemq; immediatè substantem, maximus est & simpliciter damnificus, eò qvod tollat vel simpliciter inutile reddat medium perveniendi ad salutem, sive procedat ex ignorantia simplici, sive affectata, talis error est dogma Calvinistarum *de particularitate gratiæ Dei; & mortis mediatoriæ*, Papistarum *de merito B. O. in negotio justific.* Error verò incurrens in articulum fidei salvificæ vel præsuppositum, vel eandem conseqventem, simpliciter damnificus non est, si nimirum procedat ex ignorantia simplici, ita, ut homo errore illo occupatus, fundamentum unicum Christum cum Patre & Spiritu S. adhuc retineat, inq; eo solo, vera fiducia apprehenso, sibiq; applicato omnem suam justitiam & salutem constituat. Ut ita sentiam facit exemplum Apostolorum & discipulorum Christi, errantium adhuc haud leviter Luc. XXII. 24. c. XVIII. 34. c. XXVI. 21. Matth. XX 21. Act. I. 6. c. X. 14. *qvi tamen amici Christi manebant Joh. XV. 15, ob fidem residuam eamq; fundamentalem de Christo Messia & Filio Dei vivi Matth. XVI. 16. Joh. VI. 69.* Illustrari hoc potest exemplo, petito à doctrina de peccato. Qvodvis peccatum, involuntarium etiam in se secundum legis rigorem est mortale, & nullum naturâ suâ veniale Matth. V. 22. 28. c. XII. 36. Rom. VII. 7. Jac. II. 10. Et tamen secundum ἐπιείκειαν Evangelicam credentibus in Christum remittitur Rom. VIII 1. Qvis ergò negaret, qvod etiam error in se fundamentalis & mortalis, cœtera fidelibus & piis, propter Christum, fundamentum unicum verè retentum, ex gratia remitteretur?

§. 3. Hinc nata est distinctio inter errantes ex simplicitate, & errantes ex contumacia, sive inter seductores, & seductos, quam ego suprà supposui, cum dixi: *Nos ob errores fundamentales, nec simplicier, nec universim omnes damnare, qui sunt in*

 Eccle-

Ecclesia Calviniana. Nam qui errant ex ſimplicitate, ob melioris inſtitutionis defectum, retento tamen fundamento ſalutis unico, Chriſto Jeſu, cum promptitudine veritati, quoad cœtera rectius monſtratæ, parendi, iis credimus Deum pro ſua miſericordia propter Chriſtum errata talia condonaturum, aut ipſos ab iiſdem quaſi per ignem tribulationis & tentationis, maximè in extrema agonis hora combuſtis, liberaturum. Errantes verò ex contumacia credimus ſimpliciter ἀναπολογήτους. Nam ſi infidelitas privativa damnat eos qui foris ſunt, quid ni multò magis ignorantia κατὰ διάθεσιν, error poſitivè contrarius, in tanta luce ſupinus, eos qui cives Eccleſiæ videri volunt? Digna, quæ hic legantur, judico verba Dn. D. Sigvvarti ſic diſſerentis contra Parei Irenicon p, 138 *Non ambigimus quin multi in adverſariorum Eccleſiis, manifeſtis Chriſti verbis ſimplici corde fidem habeant: Doctorum ſuorum ſtrophas, contorſiones, & perverſiones ſcripturarum in iſtis graviſſimis materiis aut non intelligant, aut non curent, ſimplicitate nimirum verborum Chriſti contenti, nec multum ſcrutentur, ac proinde ſalventur. Alii verò licet in articulis inter nos controverſis fluctuent, tandem tamen in agone manifeſta ſcriptura judicium Rationis vincit. Veritatem non obſtinatè oppugnant, multò minus blaſphemant. Hi gratiâ Dei, quâ peccata & ignorantias ipſis condonat, ſalvantur, ſi fide in meritum Chriſti ſe ſuſtentent. Alia verò & longè alia Doctorum Calviniſticorum eſt ratio, quibus error ex verbo Dei ſæpius eſt monſtratus, ipſi etiam non ſemel tantum moniti, uti hæreſin & abominationes ſuas, (quarum ipſos pudet coram cœtu, uti in ſuis habent ſcriptis publicè & palàm proponere) deſerant: Verum ſemel conceptas opiniones, ne erraſſe videantur, obſtinatè retinent, pertinaciter tuentur, veritatem, cui tamen reſiſtere non poſſunt, contra conſcientiam impugnant, & blaſphemant &c. Hos tanquam infirmos cum omni lenitate tolerandos, & ut vera Eccleſiæ membra charitate Chriſtianâ complectendos eſſe, nuſpiam præcipit ſcriptura. Verum contra potius vult* Gal. V. 12. c. I, 8. *ut exemplum Pauli imitantes ejuſmodi turbatoribus exterminationem denunciemus, & ANATHEMA DICAMUS, niſi ab erroribus reſipiſcant.* Qui exactè noſſe cupit, quid noſtrates hac de re ſentiant, & quomodo conſentiant, adeat præfat. libri concordiæ ubi Proteſtantes diſertè dicunt: *Nequaquam conſilium & inſtitutum ſuum eſſe*

eos

eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multò verò minus totas Ecclesias, quæ vel sub imperio Romano nationis Germanicæ, vel alibi sunt damnare. Confer. Hutteri Concord. Conc. p. 1068. seqq. & speciat. refutat. Amœb. Castell. à Theologis Giessensibus concinnatam p. 665.

§. 5. Sed hic quæstio oritur, annon ii, qui ex ignorantia simplici & seductione errant ita, ut simplici corde verbo divino adhæreant, in fraternitatem spiritualem atque Ecclesiasticam sint recipiendi? Gisbertus Voëtius abit in sententiam negantem propterea, quod licet ejusmodi homines ad invisibilem Ecclesiæ Christi societatem & communionem pertineant, non tamen ad visibilem & externam Ecclesiæ veræ ceu fratres cooptari possint & debeant, eò quod hæc in pura doctrinæ conservatione, sincera Christianismi professione & Ecclesiæ in unitate fidei & pietatis coagmentatione per externam disciplinam consistere debeat, à qua taliter errantes, licet aliàs salvandi, recedant. Vid. Tom. II. disp. select. p. 537. Ego sic respondendum puto. Si error illorum incurrat in fundamentum, tum ex quacunque tandem procedat causa, est damnabilis & per consequens, homines ejusmodi errore occupati neutiquam recipiendi sunt in fraternitatem spiritualem, ut jam ante dictum; si verò impingat in articulum aliquem vel antecedenter, vel consequenter ad fidem salvificam se habentem, nec simpliciter necessarium, tum hominem ex simplicitate errantem recipiendum arbitror in fraternitatem spiritualem affectivam, hoc est benevolentiâ affectuque spirituali prosequendum, precibusque juvandum, ut Deus oviculæ errantis clementer misereatur, illamque ab erroribus, saluti internecinis, præservet, vel ex inquinata gravissimis erroribus Ecclesia eductam gremio orthodoxæ Ecclesiæ inferat, ejusque membrum visibile faciat, ut fraternitate effectivâ amplexari liceat.

§. 6. Hic non est, qvod qvis objiciat, per admissionem errantium in fraternitatem spiritualem contaminari ejus sanctitatem, conturbariq; unitatem per & propter agglutinationem membri heterogenei. Nam tales aut taliter errantes homines non recipiuntur in fraternitatem spiritualem, qvatenus errori-

bus

bus fundamentum ſalutis impugnantibus, ſive etiam actu ipſo evertentibus, ſunt imbuti, ſed qvatenus errores illi aut per ſingularem Dei gratiam præſervatricem ab iis avertuntur, aut ipſis clementer condonantur, aut illi tandem per miſericordiam Dei ab eis liberantur, atq; ſic ſalvantur propter verâ fide apprehenſũ fundamentum ſalutis unicum, Chriſtum.

§. 7. Qvod verò illos attinet, qvi in Eccleſia heterodoxa v. g. Papiſtica vel Calviniſtica, errores fundamentales poſt rectiorem informationem, & luculentam demonſtrationem ac convictionem & ſic per contemptum veritatis contumaciter retinent, defendunt & propugnant, contrà verò veritatem fundamentalum luculenter oſtenſam, negant, impugnant, blasphemant, perſeqvuntur, id qvod cumprimis primipili & antiſtites Eccleſiarum heterodoxarum factitare conſveverunt, dicimus iterum atq; iterum, nos non poſſe illos in fraternitatem ſpiritualem recipere, nec ſalutis æternæ futuros hæredes pronunciare, cum errores ab ipſis defenſi non tantùm *jure & de merito ſuo* ſint damnabiles, verùm etiam *actu & factô ipsô* taliter errantibus damnationem afferant, ut ſuprà oſtenſum.

§. 8. Jam videamus, qvibus potiſſimum argumentis Syncretiſtæ probare conentur, debere nos cum Calvinianis συγκρητίζειν. *Primò* in genere dicunt, *inter nos & illos plenum eſſe in fundamento conſenſum.* Reſp. Hoc eſt πρῶτον ψεῦδος, nunqvàm, ſi vel maximè fundamentum ſumas pro complexu eorum dogmatum, qvæ definitionem fidei materialiter ingrediuntur, omnib9q; ad ſalutem creditu ſunt præcisè neceſſaria (Nam in ſtrictiſſima hac ſignificatione articulum fundamentalem accipiunt Syncretiſtæ) verificandum, niſi qvis dicere velit, hæc non eſſe præcisè fundamentalia dogmata: *DEus omnes in univerſum homines vult ſalvos fieri,* &c: *Chriſtus pro omnibus in univerſum hominibus mortuus eſt*; nec has illis contradicere aſſertiones: *DEus vult non omnes homines, ſed tantùm abſolutè prædeſtinatos ſalvos fieri.* &: *Chriſtus non pro omnibus, ſed pro his tantùm eſt mortuus.*

§. 9. Dicunt II. *Si qvi ſuperſit diſſenſus, eum non eſſe de rei ſubſtantia, ſed de modo rei, qvi non ſit perindè ſcitu ac creditu neceſſarius; non eſſe de dogmate fundamentali, prout communibus vel vulgò*

notis

notis atq; usurpatis verbis proponitur, sed utplurimùm de ejusdem propositione, facta termino aliqvo Scholastico, qvi ad fidei necessitatem non pertineat. Resp. (1) Si inter nos & Calvinistas verus esset de rei substantia consensus, facile deinceps transigeremus de modo, qvem tamen ipsum etiam dicimus necessarium scitu creditúque si sit revelatus, *& per se reqviratur*, ad discernendum verum â falso. Sic e.g. qvilibet fidelium scire tenetur non nudè, qvod sint tres personæ in Trinitate & una essentia, sed & modum, quod hæ personæ realiter differant, non nominibus tantùm & mentis conceptibus, qvod summa hîc sit ὁμοούσια; item non nudè, qvod personæ Christi sit communicata Majestas infinita, sed & secundum qvam naturam; non solùm qvod corpus Christi manducetur in Sacramento, sed & qvomodo? ne qvæ institutio divina separaverit, homo conjungat, aut contra separet, qvæ illa conjunxit. Hi modi omnes ut sunt revelati, sic scitu necessarii; ignorati confundunt Ecclesiæ & Religionis puritatem indivisam; negati tollunt rem ipsam. (2) Dogma istud: *DEus vult omnes homines salvos fieri*, communibus & vulgò notis atq; usurpatis verbis ex ipsa Scriptura proponitur, & tamen Calvinistæ ab eo dissentiunt. Igitur dissensus fundamentalis est etiam de dogmate prout communibus verbis proponitur, non tantùm de ejusdem propositione facta terminis Scholasticis, qvi qvidem in actu signato considerati per se & absolutè ad fidei necessitatem non pertinent, pertinent tamen in actu exercito, ratione rei, ad fidem & hæreseos fugam necessariæ, terminis istis significatæ. Non potero hoc ipsum luculentiori exemplô illustrare ac simul confirmare, qvàm qvod mihi suppeditat Josephus Hallus, celebris ille Episcopus Exoniensis, qvi inter alia Romæ irreconciliabilis exempla phrases qvoq; & modos explicandi adducit in materia de justificatione, impossibilem ducens consensum inter eos, qvi justificationem justitiæ infusione, & imputatione definiunt. *Conciliari*, inqvit, p. 34. *hæc forsan qvidam autumant, meram verborum litem. Etenim qvæ Pontificiis inhærens justitia est, ea Sanctificatio est Evangelicis. Hanc æqvè omnes necessariam statuunt, æqvè inculcant omnes. Fatemur. Sed numqvid omnes eodem modo, aut ad eundem finem omnes? Non opinor. Imò qvid ipsis magis ex*

adverso? Hanc ut causam (formal. scil.) justificationis statuunt Pontificii, Evangelici ita effectum. At qvid interest (inqviunt) *dum utrinq; totum hoc Deo tribuunt? qvasi non eodem planè recidat: Solvere pro me pretium, & dare mihi in manus qvo solvam? Nescio eqvidem, qvomodo hæc ita parum dissona horum auribus videantur, qvæ Spiritus Dei prorsus ἀσύςατα definivit Rom. IV. Et qvi operatur, merces non imputatur ex gratia &c. Ecce non istud Unum sumus,* exclamat idem Episcopus p. 37 His adjungas licet praxin Calvinistarum Belgarum, qvi, cum Remonstrantes tolerantiam, & accommodationem ex capite differentiæ non fundamentalis in articulo de justificatione ambirent, dicentes, *litem hîc penè totam de respectibus Metaphysicis, & subtilitatibus Scholasticis*, hanc pacis conciliatriculam, rejecerunt, proscripserunt, damnarunt tanqvam impiam, & veritati divinæ adversam. Qvando itaq; lis est de termino aliqvo in actu exercito sive objectivè considerato ratione rerum ipsarum, per terminos propositarum, earundemq; inter se connexione, distinctione, consecutione, & veritate, tùm ea contentia non est vana λογομαχία, sed realis controversia. Et hoc casu dicimus terminos ad necessitatem fidei pertinere, & circa illos à nobis dissentientes dissentire in re ipsa, illis expressa terminis, qvos ideò potissimùm adhibemus, ut eò melius exprimamus determinatum hujus vel illius dogmatis sensum, & validius constringamus, feliciusq; detegamus adversarios, qvibus familiare est vocabulis communibus ludere, & sub Lutheranorum orthodoxis in se verbis mentem hæreticam occultare.

§. 10. Dicunt III. *Calvinistas amplecti A. C. Convenire nobiscum in fide Symboli Apostolici, judicandos ipsos non ex scriptis privatis, sed publicis, & præcipuè confessionibus.* Resp. (1) Profitentur utiq; moderni Calvinistæ, qvamvis non omnes, se esse addictos A. Confesfioni. Sed hoc ideò faciunt, ut pro A. C. Sociis habiti simplicioribus eò facilius qveant imponere. Deinde notandum eos præferre à Philippo, privatô ausu in gratiam Zvvinglianorum mutatam, invariatæ; pervertere præterea genuinum hujus sensum pestiferis explicationibus contrà mentem Confessorum, cujus rei egregium specimen edidit Heinricus Altingius

in

in Exeg. A. C. qvo ipſo deſinunt eſſe illius Socii, qvicqvid reclamet Crocius in Comment. prot. ſacro c. 37, p. 530. Vide Criticum Sacrum Dn. D. Calovii, & nuper editum à Joſua Schvvarzio tractatum ſub titulo: Beweiß daß der allgemeine Calvinische Glaube der ungeänderten Augſpurgiſchen Confesſion ſchurſtracks zu wieder lauffe. Reſp. (2). Conveniunt nobiſcum etiam Calviniſtæ in fide Symboli Apoſtolici, *qvatenus* illud qvidem in ſenſu generali atq; indeterminato accipitur. Sed cum hoc conventionis genus ſit æqvivocum & generale, non eſt, qvod magnopere illo moveamur. Nam etiam Pontificii, Photiniani, & qvicqvid uspiam eſt damnatorum hæreticorum, provocare poſſunt ad æqvivocum & generalem conſenſum in verbis Symboli Apoſtolici, qvos tamen propterea non agnoſcemus pro fratribus, cum maneat diſſenſio capitalis in ſenſibus, qvi latent ſub verborum involvulo, modis rerum creditu neceſſariis totaq; determinatione. Vid. hanc in rem tabulæ Symboli Apoſtolici, ſecundum ſententiam Lutheranorum, Papiſtarum & Calviniſtarum expoſiti, qvas Dn. Danhauer inſeruit Sigal. p. 175, ubi notes velim qvomodo tertia tabula, continens expoſitionem ſymboli ſenſu Calviniano, à Mareſio fuerit excepta. In editis contra iſtam ſtricturis, ita in Dn. Danhauerū debachatur Iſmael Groninganus: *Novi ſymboli excondítor non Apoſtolicus. candoris Chriſtiani penitus oblitus, ad ſingula penè vocabula eas Reformatis impingit opiniones & ſententias à qvibus ſunt remotiſſimi. Ut verè dicere poſſim hanc tertiam tabulam non tàm doctrinæ Reformatæ compendium, veritatis penicillo exaratum continere, qvam Epitomen atrociſſimarum injuriarum, qvibus Reformati præter jus & fas per violentas & iniqvas, ac longisſimè petitas inconſeqventes conſeqventias ſolent gravari, ipſius calumniæ ſtylo conſignatam. &c.* Hæc ille, ex fraterno ſcil. erga Lutheranos affectu, in Danhauerum effundit convitia, cum tamen Danhauerus tertiam illam tabulam confecerit tùm ex ſcriptis Calviniſtarum publicis, de qvibus vid. Sigal. p. 172. tùm ex bona fide citatis ſententiis dictisq; maximæ autoritatis apud Calviniſtas Scriptorum privatorum, qvod ocularis autorum laudatorum inſpectio docere poteſt. Qvicquid autem hujus rei ſit, hoc ſaltem eſt certisſimum, Symboli Apoſtolici generalem con-

fesſionem non eſſe adæqvatam normam & principium ineun-dæ fraternitatis ſpiritualis cum adverſariis, id quod ex parte Calviniſtarum agnovit Joſephus Hallus qvi Romæ irreconciliabilis c. IV. hoc argumentum præſcripſit: *Qvam non ſufficiat unius ejusdemq; Symboli Confeſſio ad conciliationem cum parte Romana.* Ac Gisbertus Vöetius diſp. ſelect. T. 1. p. 72. negat *Symbolum Apoſtolicum eſſe tale*; negat *eſſe Symbolum univerſale*; negat *eſſe evidentem, Apologeticam atq; elenchticam fidei formulam*; præfertq; *Catecheſin Belgicam*; id eſt, *Palatinam*. Ex parte Papiſtarum hoc ipſum agnoſcunt Moguntini, qvi poſtulatum de norma credendorum reſtringenda ad ſolins Symboli Apoſtolici literam, pasſim exagitant *tanqvàm commentum chimæricum, Babelicum, Atheiſticum, Machiavelliſticum, Pſeudopoliticum, & Libertinicum &c.* in Irenico contra Calixtum. Confer Bellarminum l. 3. de laic. c. 19. Walenburch. exam. III. princip. §. 97. & Gibbon de Burgo diſp. I. q. 1. § 9. Ex noſtratibus Dn. D. Calovum Syncret. Calixt. Dn. D. Haberkorn. diſp. 7. 8. 9. de Syncr. Dn. D. Danhauer myſter. Syncr. p. 45, ſeqq. Reſp. (3.) Omninò judicamus Calviniſtas ex ſcriptis publicis, ſed intellectis in ſenſu determinato, qvem nobis ſuppeditant eorum interpretes, aliiq; ſcriptores privati, communi Reformatorum conſenſu approbati, qvales ſunt Zvvinglius, Beza, Calvinus, Piſcator, *venerandi viri, cœlo terraq; chariſſima nomina, Heroes, Eccleſiæ lumina*, judicio ipſius Synodi Drodracenæ, qvæ illorum ſcripta formulasq; loqvendi omnes cananizavit Seſſ. 132. Horum autoritatem Calviniani non defugient, neque à nobis, ut ſpero, poſtulabunt, ut de ipſorum doctrina judicemus ex confesſionibus in ſenſu generali atq; indeterminato intellectis. Nam revocabunt ſibi in memoriam, qvid dixerint Theologi Friſici, cum Remonſtrantes articulos ſuos ſynodo Dordracenæ exhibuiſſent, nempe: *Verba tertii Articuli, prout externè ſonant & jacent, bona & orthodoxa videntur, ſed qvoniam, ut (olim dixit Chryſoſtomus) in ſenſu verborum ſolet eſſe hæreſis, etiam horum verborum ſenſus ex ipſorum & Remonſtrantium ſcriptis & libris eſt eruendus.* Hoc jus cum in alios ſibi Calviniſtæ ſumant, cur idem in ſe uſurpari ab aliis ægrè ferant? Et ſanè ut id faciamus, multa nos movent. Movet imprimis ex-

emplum

emplum Bezæ & Farelli, qui cum in colloquio Wormatiensi confessionem edidissent, Augustanæ ferè quoad omnia, si spectes externum verborum corticem, respondentem, reprehensi ob id à Tigurinis responderunt: *Opus sibi fuisse tùm DOLO BONO ad liberandos fratres. Nam se in illa Confessione clàm apud se in scrinio pectoris sui duas illas voces, PER FIDEM ET SPIRITUALITER, retinuisse*, uti refert Heinricus Alting in Exeges. A.C. p.123. Movet Confessio in Colloquio Thoruniensi à Calvinistis exhibita, quam non tantùm *lubricam & captiosam* noster proclamat Hülsemannus, eamque aliquoties variatam refert in dedic. Exam. Confess. illius, antequam formam indueret, Romanæ partis placito effigiatam; verùm etiam ipse Calvinista Spanhemius ejus κυβείαν & captiosam lubricitatem satis prodit, Amyraldo, cum ad ipsum per mediatorem scripsisset: *Theologos Calvinianos, Thorunium jussu Regis vocatos, Confessionem fidei suæ magnâ prudentiâ confectam edidisse, atque in ea suam de morte Christi deque gratia & voluntate Dei circa salutem omnium sententiam ita declarasse, ut & veritati & paci cum Lutheranis constituendæ multum tribuisse videantur: Nam & confiteri Christum esse pro omnibus hominibus mortuum, unà cum ipsa Synodo Tridentina, & statuere, Dei voluntatem de omnium salute non esse in mera signi repræsentatione positam*, respondens: *se tenere quid Thorũi gestum esset, & quo consilio negotium istud ita fuisset administratum, idque se cum tempus postularet, esse propalaturum*. Scil. confessionem illam serviisse illi scenæ *per quandam dispensationem actionum*, ut habet Amyraldi vox apud Rivetos in Epp. Apolog. contra præfat. Amyraldi. Refert hæc Dn. Hülsemannus in præfat. Dialys. p.35. addens in margine: *Calvinistarum Thoruniensium doli à sociis proditi*. Cum igitur Calvinistis solenne sit adhibere in Confessionibus suis phrases æquivocas & generales, juxta illud: *Dolosus versatur in generalibus*, sensus illorum genuinus ac determinatus omninò est eruendus ex scriptis Confessionibus istis addictorum autorum.

§. 11. Dicunt 4. *Calvinistas nec videre, nec agnoscere se dogmatibus suis per consequentiam fundamentum evertere, propterea non esse declarandos hæreticos, & tanquam tales fugiendos*. Resp. si hoc valet, omnes etiam pessimi hæretici erunt absolvendi à crimine hæreseos

hæreſeos, quandoquidem omnes dicunt, ſe nec videre, nec agnoſcere, quod dogmatibus ſuis fundamentum fidei evertant. Ex quo igitur principio tàm grande abſurdum ſequitur, illud ipſum abſurdisſimum eſſe oportet. Diſtinguenda itaque omninò eſt conſequentiæ obſervatio ab ejuſdem, ut ſic dicam, ſubſtantia. Ubi hæc eſt, fundamentum fidei evertitur, etiamſi homines foventes doctrinam, conſequentiæ illius genitricem, id non animadvertant, veluti perſpicuum eſt in Galatis, *circumciſionem correquirentibus ad baptiſmum, & profesſionem Chriſtianæ fidei* Gal. V. 2. 3. ex quo loco Voëtius probat *indirectè etiam ſeu per conſequentiam fundamentum poſſe ſubverti* Tom. II. diſp. de art. fund. p. 518. Ac commodè hîc mihi in mentem venit, quod Mareſius Curcellæo, eadem penè hoc in negotio cum Syncretiſtis ſentienti, reſpondet nimirum. (1.) *Præjudia carnis & ſanguinis eſſe deponenda,* (2.) *Deum ſeriò invocandum ut dignetur nobis affulgere luce Spiritus S. nos deducentis in omnem veritatem* (3.) *Rem cum re, cauſam cum cauſa, rationem cum ratione ſedulò eſſe conferendam; Antecedentia & conſequentia loci ſcripturæ, ex quo quis argumentatur, expendenda; Concluſionem controverſam componendam cum aliis fidei Chriſtianæ veritatibus nobis jam indubitatis* (4) *Audiendos etiam veteres & Neotericos ab eo, qui proprio judicio non confidit.* (5.) *Neque negligendam regulam Apoſtoli quæ Spiritus Prophetarum ſubjicit Prophetis* I. Cor. XIV. 29. 32. Inſtanti Curcellæo: *Quamdiu de conſequentiæ alicujus validitate eſt diſſenſus, nemini improbanti obtrudere eam fas eſſe,* reponit; *Per vim nemini diſſentienti noſtras conſequentias, de quarum evidentia ſumus perſuaſi, imo nec ipſam Scripturam, ex qua deducuntur, obtrudi debere; ſed tamen inde non ſequi nefas eſſe Eccleſiæ orthodoxæ diſſentientes à ſalutari veritate, quam hauſit ex Scripturis, à ſuo corpore reſecare tanquam hæreticos, & quà talibus anathema dicere.* Hæc ſibi capiant nolentes ex conſequentiis judicari Calviniſtæ, & eaſdem cum his inflantes tibias Syncretiſtæ. Interim hoc libenter Calviniſtis damus debita hîc cautione judicio & diſcretione, quin imo & conſcientia, æquitate & charitate opus eſſe, cum dicente B. Hülſemanno, *non omne dogma, quod ex ſua natura aliquod fidei neceſſarium præſuppoſitum, aut eam conſequens aſtruit vel deſtruit idem in hominis cujuſque mente illud efficiat,* in diſp. de dogmatis

neceſſ.

necess. §. XV. sed tamen hinc non sequitur: *Ergò Calvinistæ profitentes se non videre, quod dogmatibus suis fundamentum evertant, non sunt habendi pro hæreticis, sed agnoscendi pro fratribus.* Omninò autem hîc observanda paulò ante tradita inter errantes ex simplicitate & errantes ex contumacia, inter seducentes & seductos, distinctio.

§ 12. Dicunt 5. *Calvinistas* modernos saltē non habendos pro hæreticis, cū non sint pertinaces, & longè mitiùs sentiant & loquātur, quàm Majores *ipsorū*. Resp. Supponunt h. l. Syncretistæ non nisi eum esse hæreticū, qui dogma fidei fundamentale malitiosè & pertinaciter oppugnat, ejusq; contrarium propugnat, cum tamen non autoritas tantùm veterum Tertulliani, Irenæi, Hilarii, Augustini, Hieronymi, & recentium DD. sed & ratio manifesta comprobet, *errorem quemvis, doctrinæ Revelatæ rectà adversum, in agendis æquè ac credendis, hæresin esse, hominemque ejusmodi errore occupatum, hæreticum.* Vid. disp. Hildebrandi de Hæresi 1657 Helmestadii habitam. Sed excipient syncretistæ, *se non loqui de hæretico tali materialiter, sed formaliter, nunquam criminis adeò diri arcessendo, nisi sit pertinax.* Libenter sanè ipsis largimur non solum errorem quantumvis fundamentalem, facere hæreticum formalem, sed pertinaciam, ad errorem accedentem. Jam verò pertinax aliquis creditur esse (1.) cum positâ discendi occasione, & prophetarum, quibus spiritus subjiciendi (non servili subjectione, sed ea, quam argumenta convincunt) judicio parato negligit discere, negligit informari, nec vult in examen deduci præconceptam opinionem (2.) cum in re maximi momenti, ex Revelatione tantum, non Ratione credenda, principium ipsum fidei ac illuminationis, aut non quærit, aut oblato quasi recalcitrat, quod agnoscit ipse Calvinista Amesius verè magis, quàm principiis suis consentaneè scribens l. 4. Cas. Consc. c. 4. n. 4. *Pertinax* est, qui non est paratus captivare intellectum & Rationem suam, omnem sacræ scripturæ subjicere, (3.) cum convictus sufficienter *αὐτοκατάκριτος* manet Tit. III. 11. De hac convictione *in thesi* vid. Danh. AntiChristos. Sect. I. art. 2. §. 38. Myster. Syncret. Sect. V. art. II. § 6. *in hypothesi*, præfat. Topic. Calvin. Dn. D. Seldii ejusdemque de Syncret. Sect. III. c. V. ubi aliquot exempla adducit

nostra-

noſtratium Theologorum, qui primarias controverſias, nobiscum Calvinianis intercedentes, tàm nervosè tractarunt, ut ſolidisſimè convicerint adverſarios, eosq; vel ad metam ſilentii, vel ad turpisſimas antilogias & principii petitionem committendam adegerint. Cum itaque Calviniſtæ anteriores variorum errorum ſint ſolidè convicti, & moderni nolint anathema dicere Capitalibus Majorum ſuorum erroribus, ſed eos, quantum poſſunt, incruſtent atque elevent, & propagare, aliisq; inſtillare ſtudeant ſub ſchemate molliorum verborum, ſunt reverà non minus quàm illi pertinaces, adeoque hoc nomine hæretici veri ac formales, licet cautius nonnunquam loquantur, quàm ipſorum majores. Nam linguam adoptarunt Lutheranam, mentem retinent Calvinianam, quod præclarè oſtendit B. Mentzerus tribus hac de re editis, phraſibusq; Synodi Dordracenæ oppoſitis diſputationibus.

§. 13. Dicunt 6. *Etſi Calviniſtæ graves foveant errores, deberi tamen pro fratribus agnoſci exemplo Pauli, Corinthios, reſurrectionem mortuorum negantes, appellantis Sanctos; Galatas verò fidei ſalvificæ adjungentes opera, Fratres.* Reſp. Quod Paulus dicit, limitatè capiendum, & ad mentem Apoſtoli, qui alibi dicit *infirmos in fide tolerandos* Rom. XIV. 1. (per infirmos in fide, uti contextus docet, intelligit, qui de fide Chriſtiana quoad cœtera rectè ſentientes, ritus Leviticos quibus à pueris adſueti erant, corde ſimplici exiſtimabant adhuc in uſu & neceſſarios eſſe) diſtinguendum inter ſeductos & ſimplices, & inter ſeductores & pertinaces. Illos cum cenſeret eſſe corrigibiles fratrum nomine compellandos ſibi exiſtimat; hos verò falſos fratres diſertè appellat Gal. II. 4. ubi adhuc notandum taliter errantes ab Orthodoxis vetuſtioribus nonnunquam *fratres* appellari & *Chriſtianos*; ſed vel cum exprobratione, quod tales quidem ſe jactent, at reipsâ nunc non ſint, verùm fuerint, fieri autem rurſus debeant, ſic Optatus Milevitanus dicit *Donatiſtas* eſſe *fratres, quamvis non bonos*, de ſchiſm. Donat. adverſus Parmen. l. 1. vel cum converſionis iterata expectatione, quod nondum putarentur eſſe pertinaces & obſtinati. Vid. Haberkorn. de Syncret. diſp. I. p. 19. Dn. Chemnitium contra Syncret. Rintel p. 121. Noſtrum Dn. L. Boſium in diſp. de verſ. 6. 7. 8 9. c. I. epiſt. ad Galat. Sect. II. q. IV. §. 76.

§. 14.

§. 14. Hæc ſunt potiſſima Syncretiſtarum argumenta generalia, pro Syncretiſmo inter nos & Calvinianos ineundo; deveniendum nunc ad ſpecialia, qvibus pugnant eidem fini obtinendo. In his recenſendis ſeqvar ductum infauſti colloqvii Caſſellani, in qvo ſancita eſt concordia Ariminenſis. In iſto Colloqvio primum locum occupat Articulus DE COENA. Hîc dicunt cum Calviniſtis οἱ συγκρητίζοντες (1) *Conſenſum inter nos & adverſarios eſſe de re ipſa, nempe de vera præſentia corporis & ſangvinis Chriſti in Cœna, diſſenſum de rei modo, qvi non ſit fundamentalis.* Reſp. verbis B. Hülſemanni: Falſum eſt, & dolo prætexitur à qvibusdam Calviniſtis (Syncretiſtis) *Controverſiam inter Calviniſtas & Lutheranos eſſe ſolùm de modo percipiendi corpus & ſangvinem Chriſti.* De reali exiſtentia ſubſtantiæ phyſicæ corporis & ſangvinis Chriſti in cœna, & reali ingreſſu hujus ſubſtantiæ phyſicæ in corpus & animam ſumentis, controverſia eſt. Qvod agnovit *Petrus Martyr*, qvando in Colloqvio Poſſiaceno noluit ſubſcribere huic articulo ad concilianda disſidia propoſito: *Credimus & confitemur in Euchariſtia verè & ſubſtantialiter adeſſe corpus CHRISTI.* Addita detrectationis cauſa: *Reſpondeo pro mea parte: Corpus Chriſti non eſſe verè & ſubſtantialiter alibi, qvàm in cœlo.* Illa etenim imaginaria attractio ſubſtantiæ phyſicæ corporis Chriſti de cœlo in animam ſumentis Euchariſtiam, ſive etiam elevatio fidei in cœlum ad ſphæram corporis Chriſti, qvæ per fidem ſumentis fieri dicitur, eſt modus temerè confictus, nullâ Dei Revelatione nixus. Nec enim vera fides, nedum imaginaria, ſed verbum & promisſio inſtituentis Euchariſtiam, faciunt ſubſtantiam phyſicam rerum cœleſtium in Cœna percipiendarum, tùm communicantibus ipſis, tùm ipſorum fidei ſubſtantialiter eſſe præſentem. Qvod in ipſo colloqvio Poſſiaceno Claudius Eſpencæus rectè animadvertit apud Thuanũ l. XXVIII p. m. 124. & Laurentium Grotii Papiſantis p. 157. ſeqq. Ideoq; nec illud Ens Rationis de præſentia imaginaria debebat ſupponi tanqvam fundamentum ſubſtantialis præſentiæ corporis Chriſti in cœna; multò minus, tanqvam utrinq; ratihabenda hypotheſis mutui conſenſus circa hoc dogma inter Lutheranos & Calviniſtas. Hæc Hülſemannus Brev. Theol. c. XIII. ſuppl. §. 2. p.

210. ubi notat, Calvinistas nonnullos, substantialiter & spiritualiter præsentem esse, dicere Synonyma, unde pateat eos ludere in verbis substantialis præsentiæ.

§. 15. Dicunt (2) Confiteri & nos illos, *spiritualem manducationem corporis Christi & bibitionem sangvinis, omninò necessariam esse, & sine ea usum Sacramenti nemini esse salutarem, convenire itaq; nos & illos in fundamento.* Resp. *Per spiritualem manducationem & bibitionem intelligitur*, juxta declarationem Colloqvii Cassellani, *actus veræ fidei prout fertur in Christum crucifixum, seu in venerabile ejus corpus pro nobis in mortem traditum, & sangvinem pro nobis effusum, & utrumq; apprehendit, sibiq; cum omnibus Christi meritis applicat.* Jam dico, qvia Calvinistæ negant, Christum pro omnibus hominibus esse mortuum, adeòq; per ipsorum dogmata nemo indubitato credere potest, PRO SE *corpus Christi in mortem traditum*, PRO SE *sangvinem Christi effusum*, (sine qva fide nulla spiritualis manducatio aut bibitio esse potest) tollunt ipsam manducationem & bibitionem spiritualem. Nam, uti benè advertunt Dn. Theologi Wittebergenses, *ubi fundamentum tollitur fidei ac spiritualis manducationis, & bibitionis per fidem, ibi spiritualis manducatio & bibitio locum habere non potest*, in epicrisi Sect. II. §. 1. Cum igitur ita res sese habeat, neq; hoc in capite qvoad rei substantiam nobiscum sincerè consentiunt Calvinistæ. vid. Dn. Seldii Syncret. Sect. II, c. 2.

§. 16. Seqvitur Articulus gravissimus de PRÆDESTINATIONE. Hic dicunt (a) *Prædestinationem esse sublime mysterium, cujus penetrationem nec Deus ipse reqvirat, nec Formula Concordiæ probet. Errores igitur hic sine fraude & malitia per solam ingenii humani imbecillitatem commissos nos condonare debere, sicuti DEus est condonaturus.* Resp. Fatemur libenter esse maximum mysterium, qvod intelligendo ut penetret, & exactè capiat, non reqvirit qvidem DEus ab homine; reqvirit tamen, ut qvantum ipse de eo per scripturas ad salutem revelavit, tantùm discat & cognoscat, *ne præsumat sapere* ὑπὲρ ὃ γέγραπται 1. Cor. IV. 6. secus, qvàm Revelatio habet, de eo sentiendo, qvod dum Calviniani faciunt, DEum mendacii arguunt, & sententiam ipsius corrigunt. Non igitur adduci possumus, ut credamus DEum hos ipsis errores

con

condonaturum, cum non procedant ex ignorantia simplici, sed tali κατὰ διάθεσιν.

§. 17. Dicunt (β) *In fundamento & qvoad rei substantiam hic inter nos & Calvinistas plenum esse consensum, cum agnoscamus utrinq; easdem causas fidei & salutis, nempe* GRATIAM DEI ET MERITUM CHRISTI. Resp. Falsissimum hoc est. Nam fidei & salutis nostræ causæ, principia & fundamenta, sunt UNIVERSALIS DEI GRATIA & UNIVERSALE MERITUM CHRISTI: Calvinianorum verò PARTICULARIS GRATIA & PARTICULARE MERITUM CHRISTI, qvæ sibi invicem directè opponi nemo sanæ mentis negabit. Ac profectò qvod rem ipsam attinet, fidei principia, causas ac fundamenta omninò oportet esse universalia, ut qvilibet fidelis de in SE individuo possit firmiter subsumere. Hoc adeò verum est, ut ipsi Synodici Dordraceni fateantur *promissiones* qvibus fides nititur, oportere esse UNIVERSALES sess. 98. ubi Pareus Syllogismum Remonstrantium ex puris particularibus, se judice, in hac ipsâ materia concludentem, perstringit. Vestram hîc conscientiam, Viri Calviniani, appello! Vos oro obtestorq; ut vobismetipsis attendatis. Si promissiones, qvibus fides nititur, oportet esse universales, si particulares nihil concludunt, cur vos tàm pertinaciter asserritis: Christum non pro omnibus, sed pro qvibusdã solùm homib9, nempe pro solis electis esse mortuum? Scilicet ita propria vineta cæditis, ita ex eodẽ ore calidũ & frigidum efflatis. Dico, atq; iterũ dico, nisi universale meritũ Christi asseratur, mens humana ex nullo documento scire potest, qvod ad SE illud pertineat. Nam ponamus hanc assertionẽ: *Christus pro qvibusdam hominibus, & qvidem paucioribus, est mortuus:* Inde hæc emerget Conclusio: *Ergo fieri potest, ut Christus pro me qvoq; qvi homo sum, mortuus fuerit.* Nonne dubia est hæc Conclusio? Ergo planè inepta ad fundandam fiducialem illam, & ad se in individuo applicativam, Christi apprehensionem. Sed scio qvid hîc soleatis obtendere, nimirum: *Discursum illum qvamvis sibi non substernat universalitatem absolutam, & in specie hanc: Christus pro omnibus hominibus est mortuus, nihilominus posse subsistere, qvòd præsupponat aliqvam universalitatem scilicet: Christus pro* OMNI-

 BUS

BUS ELECTIS, OMNIBUS OVIBUS, CREDENTIBUS *est mortuus.* Esto ita. Sit igitur hæc propositio: *Christus pro omnibus credentibus est passus.* Hinc si vera fides debet exoriri, te sic oportet subsumere: *Ego sum electus, Ovis, credens,* & concludere: *Ergo Christus pro me passus est.* Jam à te postulo probationem minoris, & qværo *unde constet, te esse electum, ovem, credentem, & qvid teneas eâ fide, qvam tibi tribuis:* Respondes: *Tibi de fide tua constare ex verbo Dei.* Qværo: *ex qvo verbo?* Ais *ex illo: DEus vult omnes credentes salvare, ovibus meis do vitam æternam, qvi crediderit, salvabitur.* Nego hæc oracula juvare rem tuam, nego probare id, qvod erat probandum, *scil. te esse in credentium numero,* licet *credentibus salutem promittat.* Regeris: *Constare tibi ex testimonio tuæ conscientiæ, te credere.* Insto, & appello tuam conscientiam, *cupioq; ut exponas, qvid credas?* Dicis, *hoc credo: Christus ME dilexit, & tradidit semetipsum pro ME* (*qvibus verbis Paulus fidem suam exponit Gal. II. 20.* Ajo ego: *unde probas qvod Christus TE dilexerit, qvod se pro TE tradiderit.* Ais tu: *Ex occulto dictamine, qvod haud dubiè Spiritus S. tuæ menti suggerat.* Sed *valde dubium est an hoc procedat ex dictamine Spiritus S. annon potius ex instinctu Satanæ transformantis se in Angelum lucis, animamq; tuam, relictô verbi Θεοπνεύςȣ magisterio, audientem nescio cujus Spiritus dictamen, decipere satagentis.* Excipis: *Te non negligere ac planè seponere hoc in negotio Verbum Dei, credere teipsum, nihil qvicqvam firmo & immoto assensu credi ab homine posse aut deberi, nisi fuerit à Deo in verbo suo prius revelatum.* Rectè sane hoc, sed ostende qvæso verbum, qvod dicat, *Christus pro me Johanne Calvino, Piscatore, Maccovio, pro me Theodoro Beza, Francisco Gomaros, pro me Maria, Magdalena, Christina, Loysa, est mortuus?* Si tale verbum ostendere nequis, uti sanè nequis, fides tua erit potius delirium proprii sensus, opinio fidei, Enthusiastica persuasio, domus super arenam posita, quàm vera solidaq; fides, petræ verbi innixa, stantibus scil. tuis principiis, quod Christus pro aliquibus tantùm mortuus sit, & quod loca, quæ gratiam Dei & meritum Christi universalia esse docent, non sint universaliter accipienda, sed particularem habeant sensum ad solos electos restrictum. Ut igitur fides sit, quod esse debet, nempe vera solida-

que

que fiducia, seu fiducialis objecti salvifici ad quèmlibet in individuo applicativa apprehensio, aliter illa nec concipi, nec cognosci potest nisi unicè ex hoc verbo universaliter intellecto & explicato: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Et: *Christus morte suâ gratiam omnibus hominibus impetravit.* Nam hôc positô quivis statim subsumit: *Ego sum homo,* & firmiter concludit: *Ergo Deus me vult salvum fieri,* Et: *Christus Dei gratiam MIHI impetravit,* quæ est vera Christiana & salvifica fides, quæ non potest concipi ex principiis Calvinistarum. Non tacendum est h. l. quod Hildebrandus, Calvinista Bremensis, in præfat. orthod. declar. p. 57. commemorat. *Nonnemo,* inqvit, *ex Arctico angulo recenset generosum suum Dominum & Patronum fateri, se particularitatem Piscatorianam, quam quidam Piscatoris discipuli crudè admodum proposuerunt, nunquam concoquere potuisse. Obturasse interdum aures in concione; mussitâsse tamen & Doctori potius, quàm doctrinæ vitium imputasse. Imò sororem ejus natu maximam, & judicio supra sexum præditam, eâ de causâ à Reformata Religione secessionem fecisse.* Hoc exemplum Hildebrandus, Hypotheticus, universalitatis Gratiæ DEI & meriti Christi contra rigidiores Zvvinglianos assertor, opponit particularitatis defensoribus. Quid verò generosus ille vir de quo Hildebrandus, dicturus fuisset, si audivisset πολύγραφον illum Maresium doctrinam de universali gratia Dei & merito Christi blasphemè appellare VIRUS UNIVERSALISMI & profiteri, *si eò se sentiret infectum, se velle illud revomere cum suo sanguine* in respons. ad epist. Blondel. præfixa Epicris. Theol. in 12. anno 1658. (********) 3. Sed cave, mi homo, ne aliquando tremendus vivorum ac mortuorum, Jesus Christus, eò quòd tam irreverenter de sanctissimo ipsius merito locutus fueris, te præcipitet in infernum, ut ibi imbibas virus piceum ac sulphureum universalis damnationis. Dicis: *Cum nemo salvari queat absque fide vera, ego verò supra concesserim, posse aliquos in Ecclesia Calviniana salvari, quomodo in illis generata fuerit vera & salvifica fides?* Resp. Non per *dogmata Calviniana*, sed per *dicta & testimonia scripturæ* de gratia Dei & merito Christi universali, quæ Calviniani, *quà tales*, suis inhærentes Confessionibus & Hypothesibus variè pervertunt, & impugnant, in cordibus eorum, qui sunt in

Calvinianorum Ecclesia, fides generata est, & adhuc generatur, cum homines, talia è scripturis recitari audientes, vel in iisdem legentes, ea prout sonant, in simpliciiate fidei suscipiunt, insuper habitis Antistitum suorum φλυαρίαις & contortis ac pestiferis glossis.

§. 18. Dicunt (γ) *Augustinum, Lutherum, & Philippum Melanchthonem asseruisse etiam absolutum prædestinationis decretum, Deumque peccati autorem æquè fecisse ac fecerit Zvvinglius & Calvinus, imò dogma de absoluta prædestinatione ultra mille annos toleratum esse in Ecclesia.* Resp. (1) quod Augustinum attinet, nonnulli ex ipsis Syncretistis fatentur, illum hoc in negotio multa satis perplexè tradere, ita quidem ut in nonnullis haud obscurè sibimetipsi contravenire videatur. Quod si ita res se habet, non tàm audacter dicendum erat, Augustinum idem planè sensisse cum Calvinistis, vel hos suam de absoluta prædestinatione, Deoque autore peccati sententiam ab illo hausisse. Nolumus autem hîc prolixè disceptare de mente Augustini, de qua profectò infinitæ propè lites sunt exortæ, sed remittimus Lectorem nostrum ad B. Micrælii Heterod. Calv. disp. IV. & Dn. D. Calovii Syncret. tract. spec. sect. II. p. 255. seqq. ubi sententia Augustini explicatur, atque orthodoxa fuisse ostenditur, & quidem egregiè, *ut laudat* Dn. Danhauer in Salve Reform. p. 737. Ego hoc tantum adjicio: Cum ipsi Syncretistæ fateantur, Augustinum hanc sententiam bonô animô arripuisse ut gratiam Dei adversus Pelagium assereret atque amplificaret, debere hîc illos cogitare vulgatum illud: *Duo cum faciunt idem, non est idem.* Aliud enim est error per incogitantiam & studio gloriæ divinæ commissus, aliud κακοζηλία & pertinax ac perniciosa illius assertio. Omnis error, ab usu aliquo celebratus, donec est innocens, per commemoratum usum & inadvertentiam excusari solet; postquam autem ferax esse cœperit incommodorum, & usu priori exciderit, vituperiô, & quò nocentior, abominatione dignus est. Resp. (2.) Quod Lutherum attinet, tantum abest ut ille vel universalitatem gratiæ Dei, meriti Christi, & vocationis ad salutem negaverit, qua in quæstione tamen omnis pene controversia in hoc negotio volvitur, vel absoluta Dei decreta, quibus necessitas peccandi imponitur, asse-

ruerit,

ruerit, ut potius in eo totus fuerit, ne vel gratiæ amplitudo contraheretur, vel noſtra peccata quoquo modo in Deum rejicerentur. Quas ex libro de ſervo arbitrio, ſpiritu ſanè ſublimi ſcripto, phraſes duriores proferunt adverſarii, compoſitæ cum ſcopo Lutheri, qui erat *contra Eraſmum, libero arbitrio nimirum tribuentem docere, quod nullæ nobis in negotio ſalutis, & in rebus ſpiritualibus ſint vires, quod liberum in nobis arbitrium nihil niſi malum posſit, quodque in ſolidum noſtra converſio & noſtra in bono perſeverantia debeatur Deo*, exuunt omnem, quam primâ fronte præ ſe ferre videntur, duritiem & *σκολιοδοξίαν*. Vide hanc ipſam in rem librum de ſervo arbitrio cum notis Dn. D. Schmidii, & diſſertat. peculiarem Dn. Haberkornii, Confer. diſp. V. Micrælii de Heterod. Calv. § 22. ſeqq. Sed fac Lutherum ita per omnia docuiſſe in hoc negotio uti docent Calviniani, num propterea hi erunt excuſati? num pro fratribus habendi? Iterum dico: Duo cum faciunt idem, non eſt idem. Lutherus cum illam ſententiam proponeret, recens erat egreſſus ex Papatu, verſabatur inter ſuos extra forum contradictionis, res ipſi erat cum adverſario, de gratia converſionis cum Pelagianis minus recte ſentiente, nemo ipſum monebat de incommodis, per bonam conſequentiam ex ipſius ſententia ſecuturis, & in veritatis præjudicium redundaturis. Suſtinebat igitur illam, quod putaret facere ad gratiæ divinæ ſolidiorem adſtructionem. Sed Calviniſtæ toties ſunt admoniti de periculoſis, iiſque inevitabilibus hujus ſententiæ conſectariis, ut non potuerint non vim veritatis agnoſcere, niſi conſtitutum eis fuiſſet, aures & animum adverſus objectiones ineluctabiles obturare. Nec prætexere poſſunt Calviniani bonam intentionem ſeu ſtudium amplificandæ gratiæ Dei. Nam hic prætextus amplius locum non habet, poſtquam verum fundamentum aſſerendi illam demonſtratum eſt, ut taceam non eſſe facienda mala, ut eveniant bona. Diſtinguant itaque Syncretiſtæ tempora & perſonas, obſerventq; utile monitum fratris ſui in Chriſto, Spanhemii qui parte 3. Dub. Evangel. 96. p. m. 495. ſic loquitur: *Diſtinguenda tempora captivitatis, â temporibus liberationis, nec oſtio apertô facere licet, quod licebat illô opertô & clausô. Palpationi locus in tenebris non in luce. Nec illic inter leproſos & peſtilenti afflatu correptos vivendum,*

dum, quibus inter sanos vivere licet. Resp. (3.) Quod Philippum attinet, ejus autoritas apud nos admodum cœpit vilescere ex quo post obitum B. Lutheri in Religionis negotio cœpit cum hostibus veritatis colludere, exhibendo se arundinem, quolibet ferè doctrinæ ventulô mobilem. Vid quæ dicit B. Chemnitius p. I. L. C. de causa peccati c. 6. Sigvvartus contra Irenic. Parei p. 294. B. Hutterus contra idem, & passim in Concordia concorde. Dn. Calovius Syncret. tract. spec. sect. I. p. 205. Quod verò dicunt Syncretistæ ultra mille annos in Ecclesia toleratam sententiam de absoluta prædestinatione, id falsum esse docet Dn. Calovius l. c. ostendens, dogma istud in diversis Synodis diversis temporibus damnatum. Confer Vossii historiam Pelag. l. VII. part 3.

§. 19. Dicunt (*d*) *Calvinianos modernos non probare nec amplecti horrida illa de absoluta prædestinatione dogmata, sed penitus fecisse missa, id quod satis appareat ex decretis Synodi Dordracenæ, Confessione Thoruniensi, & colloquio Cassellano.* Resp. Fateor Calvinianos in Synodo Dordracena, & post eam de absoluto decreto mitius loqui, ac multos infra lapsum subsistere. Sed profectò hoc tanti faciendum non est, cum linguam duntaxat mutarint, non mentem. Nam veteres & recentiores Reformatos *non tàm re, quàm explicandi modô dissentire* non tantùm Rivetus & Spanhemius disp. de prædest. ac Polyander contra trigam disp. Mentzeri, sed & illi fatentur, qui præ aliis Syncretismũ urgent, utpote D. Bergius disp. de provid &c. innuentes, *quod ideò noluerint Dordraceni Zvvinglii, Calvini, Piscatoris, aliorumque duriores locutiones rejicere, ne etiam doctrinam orthodoxam ipsorum pariter damnasse viderentur.* Hoccine verò est penitus missa facere horrida de absoluta prædestinatione dogmata? Dignus est, qui hîc audiatur Arnoldus Pœlenburg, Curcellæi successor, & Remonstrantium in Belgio h. t. Antistes, quem ipse Arminianorum hostis ἄσπονδος, Maresius à moderatione & sapientia commendat Exam. dissert. 2. Curcell. Sect. I. §. 5. Pœlenburgius iste, cum recitasset nonnulla ex judicio Calixtino de tolerantia Reformatorum, nempe, *per contentiones in Belgio cum Arminianis agitatas factum, ut si non OMNES, certè PLERIq; horrida illa de absoluta prædestinatione dogmata missa fecerint,* ita mentem suam exponit: *Nobis autem hic*

exiguus

exiguus videtur profectus, *aut potius nullus*, *præsertim cum illi, qui infra lapsum in his regionibus subsistunt*, *ex primo Adami peccato inevitabilem peccandi atque in æternum pereundi necessitatem in omnes reprobos inducant, statuantq; meritum mortis Christi nihil his prodesse posse; atque insuper concedere debeant*, *Adamum respectu decreti divini necessariò lapsum fuisse.* *Præterea Calixtus cum putat PLEROSq; horrida illa placita* deseruisse, longiùs progreditur quàm par est. *Non enim ignorare debuit* vir pacis nobisq; (*Arminianis*) dilectus, *in hoc Belgio nostro horridi istius placiti defensores COMPLURES superesse*, *eos maximè, qui aliquot abhinc annis ex Academia Ultrajectina*, *tanquam ex equo Trojano, prodierunt.* Hæc ille, in epistola præfixa refutationi disputationis inauguralis Spanhemii Iunioris de V. Articulis. Idem autor in epistola, quâ respondet ad præfationem maledicam Leonhardi à Ryssen, innuit longè plures hodiè in Belgio esse absolutæ prædestinationis patronos, quàm fuerint tempore Synodi Dordracenæ. Verba hæc sunt: *Nunc longè aliter, atque olim Synodi Dordracenæ temporibus Supralapsarii, qui tunc erant oppidò pauci, in tantum excreverunt numerum, ut omnia præcipuarum subsellia Academiarum obsederint, unde ingentia Supralapsariorum agmina, tanquam ex equo Trojano jamdiu prodierunt : adeò quidem, ut hic* (Ryssenius, contra quem ista scribebat) *audeat in fronte libelli sui dicere*, *se REFORMATORUM SENTENTIAM demonstraturum. Immò id etiam persuadere conatur*, *id agit*, *ut nobis omnes suos ex Infralapsariis faciat Supralapsarios. Quod si verum sit, nostris* (*Remonstrantibus*) *datur tantò major ac justior offensionis gravissimæ causa*, *tantoq; minor hinc apud nonnullos oriri potest propensio de novo cum illa Ecclesia coalescendi, quæ PROFICIT IN PEJUS, & deterior est, quàm fuerant opinati. Interea laus est tribuenda huic fervori, quod ulcera suorum, malè jamdudum obtecta, denudet nunc ipse*, *incrustamentis à pariete intergerino revulsis. Sæpè dixerant nostri, Infralapsarios ad Supralapsariam sententiam haud difficulter redigi posse*, *quanquam illi acerrimè renitebantur, ipse verò eos esse Supralapsarios judiciô suô irrefragabiliter demonstrat. Cum enim aliquid*, *in quo omnes conspirant*, *potuisset, subjicit: quô positô nullam amplius superesse controversiam, ego coram quovis demonstrare paratus sum.* Epistola, in qua hæc haben-

bentur, extat inter Armin. p. 900. vid. p. 912. Vera hîc dixisse Pœlenburgium inde colligo, quoniam Ryssenius, qui satis aculeatum epistolæ isti opposuit responsum, ea quæ spectant Supralapsarios, sicco pede præterit, id non facturus, si aliquid à vero alienum dixisset Pœlenburgius, in quem aliàs vehementissimè debacchatur, & simul bilem suam effundit in epistolas, quas vocare soleo Arminianas, pronuncians, *eas materiæ Theologicæ vix speciem habere, facundiæ parum, modestiæ ne hilum quidem*, qua in re ipsum splendidè mentiri, inspectio & lectio laudatarum epistolarum docet. Ryssenii responsio ad epistolam Pœlenburgij subjuncta est Synopsi impuræ Theologiæ Remonstrantium. Falsum est itaque vel in Synodo Dordracena absolutam prædestinationem disertè rejectam, vel post eam penitus abdicatam. Revocet hîc sibi Lector in memoriam vehementem de genuina sententia Synodi Dordracenæ concertationem Voëtii & Maresii, quorum alter, Voëtius, Synodum reprobationis decretum ante vel supra lapsum Adami constituisse defendit, alter eidem Apologiam pro Synodo Dordracena opposuit. Id vero inde est, quia ejus decreta ita sunt concepta, ut tùm Sub- tùm Supralapsarii possint iis subscribere, prout etiam in ipsa Synodo absoluta prædestinatio à Francisco Gomaro fuit defensa & ille pro fratre orthodoxo habitus. CONFESSIONE THORUNIENSI non est, quod nos moveri patiamur. Nam admodum lubrica ea est & captiosa, quod ostendit in ejus examine B. Hülsemannus. Confer Calovium in de Syncret. p. 228. & vide quæ suprà hac ipsa de Confessione dixi. Marpurgenses hoc in nogotio melius sentire cœteris Calvinistis, nullo nobis certo constat indicio. Infra sive Sublapsarios eos esse ipsi Rintelenses concedunt in Epistol. Apol. p. 36. nec diffitetur Calvinista Curtius in de art. fundam. Sect. VII. §. 5. Cum verò, ut paulo ante indicatum, & Supra & Sublapsarii tantùm dissentiant in modo loquendi; conveniant autem in re ipsa, fatentibus ipsis Calvinistis Riveto, Spanhemio, Polyandro, Bergio, eodem loco habendi sunt Marpurgenses Sublapsarii, quo habemus Supralapsarios Belgas, scil. pro desperatis hæreticis, & fraternitate spirituali indignis hominibus. Si hîc velint Syncretistæ nobis objicere Hypotheticos, Cameronem, Amyraldum,

Testar-

Testardum, Crocium, Bergium, Hildebrandum, aliosque, & dicere, illos in negotio prædestinationis nobiscum conspirare, asserendo gratiam Dei universalem & meritum Christi universale, de plano pronunciamus, Calvinistas istos ὅμοια μὲν λαλεῖν, ἀνόμοια δὲ φρονεῖν, ac planè ἀσύγκλωστα συγκλώθειν, id quod Amyraldo subinde objecit Spanhemius, dictitans, eum statuendo Deum omnium velle misereri, si omnes credant, vel credere possint, ex se scil. asserere gratiam *histrionicam, illusoriam, derisoriam.* Vid. Dn. Calovius in de Syncret. p. 230. B. Micrælii Heterodoxia Calvin. de prædest. disp. I.

§. 2. Dicunt (s) *prava, quæ hîc fovent Calvinistæ dogmata, apud paucos admodum pestilens virus suum solere in vim transferre, eò quod illa, in quantum aliquid periculi secum trahant, aut taceant, aut cautissimè & mollissimè efferant.* Resp. Næ hoc est αὐτοκατακρίτους facere illos, quorum causa hîc agitur. Si placita, quæ hoc in puncto fovent Calviniani, in se sunt prava, si ex sua natura venenata, quod non obscurè concedunt Syncretistæ, etiamsi paucis noceant, non sunt tacenda, nec mollibus verbis incrustanda, nec ad eorum defensionem vel excusationem torquenda verba & testimonia scripturæ, quandoquidem Christus & Belial non possunt in una sede morari, nec luci ullum cum tenebris est commercium II. Cor. VI. 15. Neque possunt adeò cautè tractari, quin subinde virus suum exerant, nam paulum fermenti totam massam corrumpit Gal. V. 2. 4. Matth. V. 18. *Quicunque solverit vel unum apicem de hisce, quæ in lege extant, minimus erit in regno cælorum,* ubi verbum *solvendi* notare non solum violationem, quæ moribus & facto, sed illam quoque, quæ falsâ doctrinâ, sive interpretatione fit, ex parallelo constat Joh. X. 35. quando judices seculares Filii Dei dicuntur, non solvitur Scriptura. Sed Calvinistæ ipsisq; adhinnientes Syncretistæ malunt in tenebris micare, malunt simulare, malunt dogmata pestifera incrustare, quã Deo dare gloriã, & errores agnitos in proscenio Ecclesiæ sincerè recantare. Nã si nullos hîc agnoscunt errores, si nullum periculum Calviniani, cur formidant mentem suam apertè exponere? Cur adeò titubanter loqvuntur? cur tàm sollicitè cavent, ne quà mysteria hæc dispalescant? Nobis certè beneficium nullum majus potest of-

ferri ; quàm si adversarii sententiam suam sine fuco & fallaciis more majorum plebi suæ simpliciter exponant. Sed Calvinistæ moderni prudentiores sunt, quàm ut hoc faciāt. Quod si quis minus providus arcana doctrinæ suæ palàm populo conspicienda præbuerit, illicò magna animorum perturbatio existit, quod post Synodum Dordracenam Roterodami in Hollandia contigisse memorat in suprà citata epistola Pœlenburg, usque adeò, ut novi schismatis periculum metueretur. Verum carnalis hæc prudentia, conscientiæ cauteriatæ index malè cessura est olim Calvinistis, sicut susceptum illius patrocinium excusatione minimè levi expiandum veniet Syncretistis : *Væ justificantibus impium* Esa. V. 23. *Qui tepidi sunt, nec fervidi, nec frigidi, illos evomet Dominus ex ore suo Apoc. III. 16.*

§. 21. Dicunt (ζ) *Calvinistas integras atque illibatas servare regulas Practicas, justificationem & salutem æternam adscribentes fidei,* nēpe, *qui crediderit & baptizatꝰ fuerit salvꝰ erit, qui nō crediderit, condemnabitur. Ope harum regularum posse efficacissimè erigi de sui ad vitam prædestinatione dubium.* Resp. Vi absoluti decreti nulla firma consolatio, vel ex verbo Dei, vel ex Sacramentorum usu, pro erigendis tentatis conscientiis desumi potest, adeoque in syllogismo Calvinianorum consolatorio practico, major propositio in prima figura semper fit particularis, vel si universalitas quædam respectu credentium constituatur, minor semper petitione principii laborat. Unde non nisi meræ dubitationes & tandem desperationes consternatis & tentatis conscientiis suboriuntur. Siquidem à posse ad esse nulla firma consequentia nectitur. Repete quæ suprà dixi § 17.

§. 22. Articulum de Prædestinatione in Colloquio Cassellano excipit articulus de Christo. Hîc dicunt Syncretistæ (ι) *Calvinianos nobiscum convenire in doctrina de unitate personæ & dualitate naturarum secundum hypostasin unitarum, sive doctrina de unione personali.* Resp. breviter: Calviniani ponunt quidem unionem personalem quantum ad vocem, quoad rem ipsam verò eam evacuant, quando per sustentationem περιστατικὴν explicant. Nam sustentatio carnis est actus omnibus tribus Personis communis, communis itidem omnibus creaturis ; at λόγος

sic sustentat carnem, ut solus, ut solam. Ideò rectè B. Lutherus hujusmodi philosophiam appellat hæreticissimam, quæ negat Filium Dei esse hominem actu primo, sed fingit carnem solùm sustentari actu secundo. Quamvis igitur Calviniani juxta nobiscum profiteantur, quoad verborum sonum, divinam & humanam naturā reverá & personaliter esse unitas, sic ut Christus Deus & homo sit in personæ unitate, tamen hoc rectè, sanctè & sincerè non credunt, nec credere possunt ob causas, à Dn. Theolog. Witteberg. in Epicrisi ad art. 3. de pers. Christ. §. 1. allegatas.

§. 23. Dicunt (2.) *Calvinistas prædicationes personales, non ampliùs facere verbales, sed jam nobiscum fateri Reales.* Resp. Valde vereor, ne quam in aliis capitibus, hîc quoque adhibeant κυβείαν Calviniani, qui quâdam phraseων latitudine, ex consilio syncretistico Josephi Halli, sibi quam proximè accedendum putant ad adversarios. Nos propositiones personales olim & nunc appellare consuevimus Reales à reali communicatione naturarum & proprietatum in persona Christi θεανθρώπȣ, minimè verò generali quodam respectu & intuitu personæ præcisè sumptæ. Jam dicant nobis Syncretistæ, quo respectu, priorine, an verò posteriori Calvinistæ prædicationes personales appellent Reales? Si illo, necesse est, ut agnoscant nobiscum realem communicationem naturarum & proprietatum in persona Christi, sin hoc, retinent utique, quicquid excipiant & perplexentur, ἀλλοίωσιν Zvvinglianam Calvinistæ, nec melius sentiunt suis majoribus, licet speciosius loqvantur. Id quod notandum non tantùm contra Autorem, qui anno superiori Francofurti edidit meditationem de controversia circa personam Christi inter Evangelicos, ut ipse loquitur, agitata, quâ demonstrare satagit, eam in solis loquendi formulis & terminorum Scholasticorum ambiguitatibus consistere, adeoque revera nullam esse; verum etiam contra Calvinistam Curtium, qui de artic. fundam. Sect. VIII. 9. negat *prædicationes personales secundum ipsos* (Calvinistas) *esse verbales, cum unio personalis, quæ istarum prædicationum fundamentum est, ipsis non sit verbalis vel titularis, sed* REALISSIMA. Itane verò mi Curti, unio personalis vobis est realissima? At verò in omni hypostatica unione requiritur quadruplex communio (1) Hypo-

ſtaſeos, in qva fit naturarum diverſarum unio (2) naturarum uniendarum (3) idiomatum (4) operationum, qvæ naturas inſeqvuntur. Ubi qvatuor hæc reqviſita adſunt, ibi demum unio eſt realis. Qvid tu hîc ais? Num hæc nobiscum ſincerè credis & concedis? Num tui unionem perſonalem ita deſcribunt, ut realem communicationem naturarum & idiomatum coadmittant? Minimè verò. Itaq; qādiu ita ut ſentiatis, à vobis impetrare non poteſtis, tamdiu dicimꝰ vos merè verbales & titulares facere prædicationes perſonales, cū ipſis ſubſternatis non verū ac reale fundamentū, id eſt veram & realē unionem, ſed merum ens veſtræ Rationis, adeoq; fundamentum planè falſum & commentitium.

§.24. Dicunt (3) *Calvinianos nobiscum agnoſcere etiā Majeſtatem Chriſti ſecundum carnem, fatendo, humanam Chriſti naturā ad dextram Dei ſedentē ad ſumā gloriam evectam eſſe*, ℞. Non agnoſcunt ſincerè, qvandoqvidem præfractè negant, idiomata, *αὐχήματα* & *ἀξιώματα* verè divina ad communem poſſeſsionem, uſurpationē ac denominationē carni Chriſti reverà eſſe comunicata, ita, ut de illa non tantùm in abſtracto utcunq; posſint prædicari (nā hoc non nunqvā Calviniani profitentur, dicentes: *Humanam naturam eſſe omnipotentem, ſed perſonaliter, vel in perſona Filii Dei citra communicationem veram & realem*) Sed verè, realiter, ac intrinſecè perſonaliter ſive per & propter unionem perſonalem. Cum verò dicunt Calviniani, humanam Chriſti naturam, ad dextram Dei ſedentem, ad ſummam gloriam evectam eſſe, non intelligunt gloriam & Majeſtatem verè infinitam, immenſam ac increatam, ſed hâc inferiorem & ſummam ſaltem in genere ſuo, qvanta ſcil. in naturam creatam cadere poteſt. Sed uti hæc opinio contravenit Scripturæ & libris noſtris Symbolicis (vid. epit. Conc. art. VIII. n. XVI.) non agnoſcentibus gloriam divinam, & ſummam niſi unico Filio Dei propriam, humanæ naturæ communicatam, ita Calvinianos à nobis longisſimè ſejungit.

§.25. Dicunt (4) *Calvinianos ſuscipere nobiscum Confeſſ. Concilii Chalcedonenſis, & Anathematismos Concilii Epheſini, damnare ac deteſtari Eutychis, Neſtorii aliorumq; hæreticorum errores, inter nos igitur & illos conſenſum eſſe in hoc in articulo fundamentalem.*

℞. pro-

℞. Profitentur qvidē Calvinistæ se hoc in negotio seqvi, ac recipere sententiam Conciliorum Chalcedonensis atq; Ephesini, hinc illius confessionem atq; hujus anathematismos Curtius inseruit tractatui, qvem edidit de artic. fundam. sect. 3. Sed profectò reverâ non suscipiunt, nec sincerè seqvuntur, qvia contra regulam Chalcedonensis Concilii: *In operibus officii una qvæq; natura agit qvod suum est*, Sed cum COMMUNICATIONE ALTERIUS, *disertè negant, humanam naturam in operibus omnipotentiæ agere sive operari eâdem virtute, qvâ operatur divina natura*, qvod est dicere: illam agere absq; communicatione divinæ naturæ. Sic susq; deq; habitô anathematismô XI. Concilii Ephesini negant *Carnem Christi ex unione personali esse vivificam*. Sic & contrà anathematismum octavum negant, *carnem Christi esse adorandam*. Excipere h. l. neutrô Anathematismô feriri Calvinistas, utrumq; oppositum fuisse Nestorio, qvi planè unionem personalem dissolverit, & omnem communicationem negarit, σεφὸν φάρμακον est. Nam licet Calviniani moderni non tàm apertè ac Nestorius unionem personalem dissolvant, nec tàm crassè de idiomatum communicatione philosophentur, subinde tamen in ipsius castra concedunt, iisdemq; qvibus ille argumentis, orthodoxam de communicatione idiomatum doctrinam impugnant, adeoq; utroq; anathematismô non minùs feriuntur, qvàm Nestorius, cū qvo idem docere in hoc capite Calvinistas probatum dedit Micrælius in Heterodox. Calvin. de Christo disp. VI, & VII. & B. Schröderus contrà Grabium peculiari libro de Nestorianismo.

§. 26. Ultimū in Colloqvio Cassellano locum occupat articul9 de Baptismo. Hîc dicunt Syncretistæ *Calvinistas perinde ac nos baptismum agnoscere pro medio ordinario regenerationis, adeoq; nobiscum in re ipsa consentire*. Resp Calvinistæ baptismum reverà non agnoscunt nec habent pro medio, per quod Spiritus S. ordinariè operetur regenerationem, siquidem infantes etiam ante baptismum sanctos esse statuunt, illiq; solùm tribuunt testificationem, significationem, obsignationem remissionis peccatorum & interioris ablutionis. Hinc patet nullum esse inter nos & illos qvoad substantiam rei etiam hoc in capite consensum. Nam

nos

nos docemus & confitemur infantes esse baptizandos ut Christo inserantur, & spiritualiter regenerentur, adeoq; sancti fiant: Calvinistæ verò asserunt, infantes etiam ante baptismum esse sanctos. Licet verò libenter largiamur Christianorum liberos gaudere, *sanctitate Ecclesiasticâ & externâ*, prout privilegium adeundi Ecclesiā ad impetrandum baptismum habent; negamus tamen eos gaudere *sanctitate spirituali atq; internâ fœderali*, qvâ actu qvis fruitur beneficiis, atq; ita in gratia Dei & fœdere cū Deo non sunt ante baptismum, qvantum ad actum, qvia fide destituuntur, qvæ ad stipulationem cum Deo reqviritur, ac sine interiori cordis motu non est, qvum fide corda purificentur Act. XV. 11. Habent jus ad rem, ut JCti loquuntur, ad fœderis hæreditatem conseqvendam, sed non in re, ut actu contineantur in fœdere Dei, sint in gratia Dei, adeoq; filii Dei sint ante baptismum, & hæredes vitæ æternæ. His, uti decet, observatis facilè respondere possumus Calvinistis excipientibus etiam nonnullos è nostratibus dicere infantes esse sanctos ante baptismum. Nempe nos facilè damus, Deum huic ordini non ita esse adstrictum, ut nolit aut neqveat, siquidem per absolutam atq; extraordinariam potentiam agere ipsi placeat, infantes ante baptismū sanctificare, cū a. Baptismū dicimꝰ ordinariū mediū regenerationis, hoc saltē volumus, neminem ordinariè concipere fidem, qvâ sumꝰ Filii Dei, nisi per Sacramentorū usum, & verbi auditum eam accipiat. Hoc, inqvam, volumus, qvod dum non satis observant Calvinistæ, nec extraordinarium sanctificandi modum ab ordinario distingvunt, meritò illos accusamus ignorati elenchi, ac prætereà impietatis, negantes verâ, propriâ aqt; actuali fide esse præditos infantes. Nam hâc ratione infantibus tribuetur salus citra fidem actualem. Hoc ipsum verò clarissimis scripturæ dictis adversatur, fidei omnia in negotio salutis transscribentibus vid. Gal. III. 29. Ebr. XI. 6. Joh. I. 12. Rom. V. 12. & regulis practicis, qvas necessarias ipsimet Calviniani agnoscunt, & ad fundamentum salutis referunt, salutem & justificationem à vera fide suspendentibus, *Qvi crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qvi non crediderit, condemnabitur.*

§. 27. De exorcissmo, qvem nonnulli Pseudo-Lutherani, falsi

falsi fratres ac Syncretistæ in gratiam adversariorum Calvinianorum abrogandum vel intermittendum sciscunt, tenendum, esse Ceremoniam liberam Baptismi, habentem significationem non inutilem de qva B. Gerhard. Tom. IV. LL. de Bapt. §. 263. seqq. minimè verò omnium usum ejus esse liberationem infantis ab obsessione diaboli. Liber iste ritus cum satis diu observatus fuerit in Ecclesiâ, qvod nonnulli ex ipsis Syncretistis urgent, derivantes illum à constitutione Apostolica, ac præterea in se sit innoxius, in gratiam Calvinianorum, qvi sanctos esse fidelium liberos, & in fœdere gratiæ ante baptismum statuunt, neq; planè abrogari debet, neq; ratione sui formalis in expressas preces commutari, qvin potius standum in libertate, in qvam per Christũ sumus vindicati Gal. V. 1. neq; falsis fratribus, cum adversariis colludentibus, eorumq; causam agentibus ad horam cedendum Gal. II. 4. ne pars adversa in opinione sua cõfirmetur, & scandalũ præbeatur infirmioribus, mutationem Ceremoniarum interpretantibus pro mutatione dogmatum.

Θέσις IX. Calvinismus est irreconciliabilis, & Syncretismus cum Calvinistis qvà talibus, Theologicè & Politicè malus.

Ἔκθεσις. Præceptor meus b. m. Dn. D. Hülsemannus (cujus eruditis lucubrationibus uti in multis gravissimis controversiis Theologicis, sic etiam hac ipsa in materia me plurimùm adjutum, publicè hîc profiteor gratus discipulus ac dissimilimus eorum, qvi incomparabilis Theologi honori, scriptisq; cedro dignis, insubidis suis judiciis valdè inverecundè atq; improbè detrahũt, qvod fieri mirarer, nisi scirem invidiam, ingratitudinem atq; ambitionem cum inscitia conjunctam ubiq; ferè regnare ac mortuo leoni lepusculos etiam barbam vellicare) edidit librum, continentem delineationem causarum earumq; applicationem ad Calvinismum, propter qvas Josephus Hallus Papismum censuit esse irreconciliabilem. In libro isto demonstrat, *Si obex ponitur in Papatu per fabulam infallibilitatis de impeccantia judicii in Papa, illum etiam inveniri in eo, qvod rationem ultimam interpretandi sa-*

ras literas in congruentia cum sensibus & Ratione congenita qværant Calvinistæ; Si ibi peccatur in modo & forma justificationis, dum ponitur in infusione, non imputatione; hic non minus peccari in causa justificationis meritoria, dum Christus pro omnibus negatur mortuus. Si ibi libero arbitrio nimis datur, hic gratiam fieri irresistibilem & imponi necessitatem: Si merita ibi gratiæ divinæ assuuntur; hic omnẽ gratiam fieri particularem; Si ibi operibus prævisis aliqvid datur in electione; hic reprobationem fieri absolutam; Si ibi sanctis nimis tribuitur; majestatem hic Carnis Christi imminui: Si ibi transsubstantiatio statuitur, hic rem cœlestem ex Eucharistia tolli; Si ibi invocantur mortui; hic adorationem ad solam divinam naturam in Christo restringi. Hæc est summa libri, qui inscribitur: Calvinismus irreconciliabilis. Libri hujus autorem fuisse non Christianum Calvinista qvidam Polonus dixisse fertur, ut ex ipso B. Hülsemanno aliqvando audivi. Sed profectò nihil in eo asseruit, qvod non luculenter ex ipsis Calvinistarum scriptis probatum dederit Beatus Præceptor. Qvamobrem ipsi planè assentior, idemq; pronuncio. Qvod si & mihi propterea necesse sit apud Calvinistas excidere titulo Christiani, valere illos jubeo. *Si DEus & veritas pro nobis, qvis contrà nos? Rom. VIII. 31.*

§. 2. Per Syncretismum intelligo unionem, concordiam & societatem cum adversariis, non obstante utrinq; dissensu ac dissidio in negotio religionis, initam vel ineundam, conjunctam cum tolerantia heterodoxorum dogmatum, ut communes adversarios armis tàm Ecclesiasticis qvàm Politicis eò facilius ac felicius coerceamus ac debellemus. Talem societatem spirant ac sperant invitantes nos ad pacem & concordiam Calvinistæ, qvamvis Johannes Duræus, qvi maria & terras est circulatus, ut faceret proselytos Syncretismi, nolit videri esse in eorum numero, qvi factionem aliqvam Politicam contrà Pontificios formandam, sub Syncretismo aliqvando qvæsiverunt. Sed verba sunt. vide prodrom. Irenic. p. 25. & pag. 151. Pareus celebris *ille* Calvini Hyperaspistes contra nostrum Hunnium Irenici sui famosi c. 7. p. *66. Nos*, inqvit, *pro Syncretismô adversus communem hostem AntiChristum, studia consiliaq; conjungamus.* Sic Caspar Streso, non ignobilis Calvinianus, *svadet pacem qvæ consistat*

sistat in consociatione & communione tùm SPIRITUALIS, tùm CIVILIS OPERÆ adversò apertas hæreses, AntiChristum & communes veritatis hostes. §. 4. Epistolæ qvæ habetur inter Armin. p. 740. Huc etiam alii Calvinistæ eunt, qvi se pacis inter nos & ipsos ineundæ proxenetas ac pararios profitentur.

§. 3. Sed qvicqvid hujus sit, dico ejusmodi unionem, pacem, & Societatē esse malam (1) Theologicè. Nam (α) Syncretismus in Religionis negotio in S. Scriptura prohibetur tùm mysticè, *cum interdicitur usus vestium ex lino & lana confectarum Deut. XXII. 9. & commixtio animantium Lev. XIX. 19.* tùm apertè; cum Paulus nos non vult *jugum trahere cum infidelibus 2. Cor. IV. 14. Cum docet unum esse Dominum, unum DEum, unum baptisma, unam fidem Ephes. IV. 5. Cumq; Christus tepidos in fide respuit Apoc. III. 15.* Deinde (β) Hoc ipsô adversariis occasionem præbemus errores suos hominibus proponendi, instillandi, latiusq; disseminandi, qvo pacto hæresi cooperamur moraliter & nosmetipsos exponimus damnationis periculo. *Qvi non est mecum, contra me est, & qvi non colligit mecum, dispergit Luc. XI. 23.* Dicis, hoc principio facilè moveri posse Magistratus Calvinianos ut ejiciant, qvos hactenus in suis territoriis tolerarunt, Lutheranos. ℞. non possunt, nec debent moveri hoc principio, siqvidem ipsi Doctores Calviniani nos absolvunt ab erroribus fundamentalibus & hæresi, ac testimonium perhibent nostræ Religioni, qvod sit vera & salvifica. Hinc ejusmodi in Synodo Nationali Charentonensi 1631. celebrata decretum factum: *Cum Ecclesiæ Confessionis Augustanæ conveniant cum aliis Reformatis in principiis & punctis fundamentalibus Religionis, statuit Synodus, fideles dictæ Confessionis posse nullâ præmissâ abjuratione opinionum, quas tenet contrariarum fides dictarum Ecclesiarum nostrarum, admitti ad cœnam.* Ita, inqvam Charentonenses Synodici in Gallia statuerunt, & hôc ipsô nos ab hæresi absolverunt. *Nam cuicunq; Sacramentum Cœnæ porrigo,* inqvit Caspar Streso, *ei testor, qvod nihil videam, qvò minus absolutè possim ei addicere & obsignare vitam æternam.* in epist. Arm. p. 742 Qvoniam igitur ipsi Reformati per admissionem nostræ Religionis hominum ad sacram cœnam, & obla-

oblationem fraternitatis spiritualis, satis testantur nostram Religionem ab hæresi saluti noxia immunem, tantum abest ut Reformati Magistratus nostræ Religioni addictos hoc nomine licitè possint expellere, ut potius Theologos suos adigere debeant ad sincerè amplectendam, & publicè profitendam eam Religionem, quæ ipsorum testimoniô jam adepta est veritatem saltem probabilem. Imò ipsi Magistratus Reformati huic ipsi Religioni sese debent omni abjectâ morâ applicare, & cæteris paribus, facere qvod fecisse memorant Heinricum IV. Galliæ Regem. *Cum Ministros suos interrogaret, utrum Papistæ in sua Religione salvari possent, & ii negare non auderent, contra verò à Papistis asseverantissimè audiret, si in hæresi, qvam sectabatur, moreretur, absq; ullo dubio in æternum damnatum iri in inferno, hanc inde necessarium conclusionem elicuit: Longè sibi tutius esse eam Religionem profiteri, in qva salvari se posse utraq; pars consentiret, qvàm illã, qvã altera duntaxat probaret.* Ita ferè rẽ istã commemorat Spodanꝰ ad annum 1593. n. 12. Sic cum audiunt Magistratus Calviniani suos Theologos dicere, nos posse in Religione nostra salvari, esse eam immunem ab erroribus fundamentalibus, nos verò contrà probare, ipsorum Religionem esse erroribus fundamentalibus contaminatam, eidem addictos versari in præsentissimo damnationis periculo, ita secum debent constituere: *Longè sibi tutius esse Religionem Lutheranam amplecti, in qua salvari se posse utraque pars consentiat, quàm sequi Calvinianam,* quam ducere in infernum altera pars luculenter probet. Confer D. Johannis Bergii Tractatum, inscriptum Unterschied und Vergleichung p. 210 seqq. Instas: si vel maximè hujus principii assertio innoxia futura sit Lutheranis, sub imperio Magistratuum Reformatorum viventibus, metuendum tamen, ne Magistratus Pontificii, extimulati à turbonibus Jesuitis, habentibus nos pro pessimis hæreticis, ejiciant ex suis ditionibus Evangelicos, ne dici queant moraliter cooperari hæresi. Respond. tum demum aliquis moraliter cooperatur hæresi, cum permittit usum & exercitium Religionis cacodoxæ, quod impedimentô congruô & licitô posset ac deberet impedire. Est enim causa moralis, quæ non obstat, cum possit ac debeat. Jam posito nos esse hæreticos, quod tamen probari ab

adver-

adversariis nunquam poterit, non tamen Magistratus Pontificii, nostræ Religionis exercitium in suis terris permittentes, dicendi essent moraliter cooperari hæresi, cum impedimento congruô & licitô propter pacta conventa, sanctissimis juramentis confirmata, illud amplius impedire de jure nequeant, nisi se tueri velint infami illo axiomate: *Hæreticis non esse servandam fidem.* Vide hanc in rem triumphum fœderatæ pacis secularis, seu anacrisin criseos Lojolicæ à Dn. D. Dorschæo oppositam Anticrisi judicii Theologici Ernesti de Eusebiis super quæstione; An pax qualem protestantes desiderant, de se sit illicita? Confer Dn. Danhaueri partis secundæ specialis Theolog. Casual. Dialog. 3. Sect. 2. p. 620. seqq. & quæst. 15. p. 659.

§. 4. Quod igitur Elias olim Baalitis dicebat: Usque quò claudicatis in duas partes? &c. I. Reg. XVIII. 21. Idem respondere possumus ac debemus iis, qui Calvinistas in Rempubl. recipiendos, vel tolerandos suadent, vel Syncretismum in Religione à nobis expetunt, ut contra communes hostes Pontificios conjunctis viribus stare possimus. Benè Dn. Hülsemannus: *Propter futuram spem uniendarum vocum & calamorum scriptoriorum adversus Papistas non est efflagitanda sive suscipienda conciliatio cum Calvinistis, si materia controversa ratione indolis suæ, & salva veritate divinitus revelata, non est conciliabilis. Merentur Calviniani scriptores suam laudem, ob Zelum & industriam in profligandis Papistarum dolis & commentis: Veruntamen neque nititur veritas quantitate numericâ propugnantium Scriptorum, aut quantitate extensivâ multorum Tomorum, quæ Armatura Hispanica ut in populi fidem nihil potest, ita Doctoribus non fidem facit, sed laborem solum creat, & diligentiam excitat: Nec in societatem illam spiritualem, quæ συγκληρονόμους ejusdem gratiæ & gloriæ complectitur advocandus est Draco Ægyptius, uti sacra nostra adversus Babylonium Tyrannum parilibus armis tueatur.* Jes. XXX. 2. 3. Jer. II. 18. c. XXXVII. 7. Exod. XXXIV. 12. seqq. II. Chron. XIX. 2. 3. seqq. in Calvinis. Irreconcil. p. 209. In eandem sententiam magnus ille Martinus Chemnitius scribit in Harm. Evang. c. 83. *Urgent subinde Calviniani, & in eo sæpenumero ipsis adstipulantur quidem Politici, ut nos Lutherani ipsis contra Pontificios nos conjungamus. Sic enim nos cum illis conjunctos hisce terribiliores*

futuros. Et quidem quod Politicam conjunctionem attinet, eam suo loco relinquimus. Si tamen quod res est dicere velimus, satius est nos solos ab omnibus derelictos, Christo & ipsius veritati adhærere, quàm alterutri parti contra alteram adstipulantes, nostræ Confessioni eam notam inurere, quasi Christus citra Belialis patrocinium consistere nequeat. Per nos autē Jesuitæ & Calviniani, cum Anabaptistis & Schvvenckfeldianis, quandocunque & quomodocunque voluerint, in unum contra nos cōeant: Indicium enim hoc est, eos Pharisæorum, Saducæorum, & Herodianorum vestigiis insistere, nos vero cum Christo ipsorum telis & machinationibus objectos esse. Hoc ipsum cum perpenderet prior ille Martinus, suô potissimum effecit judiciô, ne Zvvingliani ullô modô in fœd9 Smalcaldicum reciperentur, cum ejus confœderationis finis esset, ut Evangelii doctrina ejus præsidiô defenderetur, si qua vis à Pontificiis inferretur. Sic etiam piissimus Elector Saxoniæ Johannes in conventu Francofurtensi Helvetiorum legatis respondit, *non se quidem latere, quanti sit facienda ipsorum conjunctio propter vires atque potentiam, sed tamen eò sibi minimè respiciendum esse, ne tristis inde sequatur exitus, quod iis accidisse scriptura testetur, qui muniendi sui causâ hujusmodi malorum usi sint præsidiis,* ut refert Sleid. l. 6. & 8. Sic constantissimus ille Christi Confessor respondit eô tempore, quô furiæ omnes in bustum Evangelii redonati conspirabant, quô Religio in acie novaculæ erat constituta, quo maximè fulcienda videbatur humanis præsidiis. Sed malebant Majores nostri, Cordatissimi mortales, in Deo confidere, quàm in hominibus; malebant soli incedere, quam jugum ducere cum infidelibus; malebant à Deo expectare opem, quàm Syncretismô, tanquam Medusæô capite perterrefacere, qui luci restitutæ adversabantur.

§. 5. Deinde Syncretismus cum Calvinistis QVA TALIBUS, etiam Politicè malus est. Calvinistas quà tales, Theologicè consideratos suprà ex Hoëo descripsi. Quà tales Politicè, sunt utplurimum homines inquieti ac turbulenti, quod sub finem superioris seculi hæ ipsæ regiones sunt expertæ, cum Crypto-Calviniani omnia factionibus replerent, cœlum terræ miscentes. Legi potest hac de re Comœdia Misnica D. Georgii Mylii. Sed ne quis ejus testimonium elevet ut hominis ἀλλοφύλȣ & Reforma-

forma-

111

formatis non satis æqui, producam testem domesticum è schola Reformatorum, quos inter etiam diem suum supremū obiit Amstelodami. Is est Casparus Barlæus, qui in fide imbelli, sive epistola parænetica ad illustrissimos & potentissimos Confœderatarum provinciarum Ordines, Calvinistas vivis coloribus depingit, ita scribens: *Calvinistæ primum in pretio habent Magistratus suos, quoad consiliis suis suffragantur. Si dissentiant, in promptu est prævaricandi prætextus. Adhæc proprium est huic genti ita sacra sua curare, ut quæ ad tranquillitatis publicæ conservationem faciant, non curent. In patriæ commoda curas non intendunt, & dum pro Ecclesiæ salute decertant; Reip. mala suaq; deq; habent. Et quia regnum suum de hoc mundo non esse contendunt, imperia corruere, regna vastari, vacuas reddi possessiones malunt, qvàm alterius arbitrio stare, aut in regni sui societatem Cæsarem admittere. Tertio ubi rerum potiti sunt, & superiores facti, consortis impatientes sunt, & Magistratus inobseqventes in ordinem cogere, dissentientes à gubernaculis dejicere, solis sibi ut cœli, ita & terræ usurpare possessionem, religionis jura interpretantur. Quæ seqvitur Calvinum turba, ex qvâvis ferè rebellione compendium captat, & Principes, qui Jesuitarum hactenus mos fuisse creditur, bellis qvoq; implicare novit. Galliam contemplamini, cujus turbato statu in suum bonum uti didicerunt. Si vel levissimè illos offendat Rex, ad arma convolāt, conciliabula sacra convocant, de rebus regni deliberant, & qvam Christianâ patientiâ debebant, aperto Marte ulciscuntur injuriam. Nec displicent transmarinæ appellationes, & exterorum subsidia adversus proprium Regem perfidè subinde exposcuntur. Comes Embdanus, vigente sub Albano persecutionum æstu, profugis ipsis hospitium & asylum perqvam humaniter præbuit. Nunc numero potiores, & Curibus parvis ac paupere terrâ in curiam evecti, ipsum, cum libet, Comitem in custodia compingunt, & libertatis donatorem ad obseqvia compellunt. Accidit idem Aqvis-grani celeberrimo Germaniæ oppido, in qvo tenerrimè habiti dignum aliqvid suâ indole dederunt, exactô nemqe Magistratu, & Lojolitarum cœtibus. Antvverpia testis esto, uti per gradus regnū sibi struxerint, & extortâ armatis precibꝰ libertate totum Ecclesiæ Romanæ clerū vrbe expulerint. Annales Belgicos evolvite, cōperietis maximū semper homines hosce negotiū facessivisse Principi Auriaco, cujus nisi obstitisset prudens moderatio, par cum Catholicis fuisset.*

fuisset Anabaptistarũ & Lutheranorũ in patria nostra sors. Didicit jam Cæsar, quid possit sub Religionis specie imperandi libido. Non aliis Autoribus principatum Bohæmiæ, Moraviæ, Silesiæ, Lusatiæ sibi conferri passus est Palatinus. Et jam Saxoni quoque dictus fuerat dies. IN DUCATU BRANDENBURGICO, UBI HACTENUS VIGUIT AUGUSTANA CONFESSIO, NUNC PRINCIPEM SUUM ALIAM EIDEM AMPLEXUM AD INNOVANDA MAJORUM SACRA SOLLICITANT. (Vid. B. Hutteri Calvinista Aulico-Politicus Alter. Id ipsum etiam hodiè factitant contra Instrumentum pacis, cujus hæc sunt verba art. VII. *Unanimi quoque Cæsareæ Majestatis consensu placuit, ut quicquid juris aut beneficii cùm omnes aliæ constitutiones Imperii, tùm pax Religionis & publica hæc transactio, in eaque decisio gravaminum cæteris Catholicis, & Augustanæ Confessioni addictis statibus & subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati dicuntur, competere debet. Salvis tamen semper Statuum, qui Protestantes nuncupantur, inter se & cum subditis suis, Conventis, pactis, privilegiis, reversalibus & dispositionibus aliis, quibus de Religione, ejusque exercitio & inde dependentibus cujusque loci Statibus & subditis huc usque provisum est, salvâ itidem cujusque libertate. APPENDIX NOTABILIS!*) *In Scotia non minus inclementer Principes suos habuerunt, Mariam primùm, mox & Jacobum. Illa postquam Reformatæ Religioni regnũ suum patefacere coacta fuisset, tantum ab ejus Doctoribus impetrare non potuit, ut intra privatos aulæ parietes missam sibi celebrare liceret. Hic non minus ab ipsis in ordinem redact9, tunc cum Scotiæ solùm imperaret, nunc duplici sceptro auct9, multorum exilio petulantiam istam ultus est. Ita comparata sunt Calvinistarum ingenia, ut aut servire, aut imperare debeant. Si serviant, lenes sunt, officiosi, humiles, obsequentissimi Dominorum suorum clientes. Verbo dicam, Christiani sunt. Sin altius provecti jugum Magistratûs excesserint, Jovis instar totam Rempubl. superciliorum suorum nutu concutiunt, rectoribus suis insultant, & ni pastorali pedô subigi se patiantur, invisissimos reddunt. Itur ad populũ, de Magistratûs in rebus Religionis negligentia, incuria, impietate querelæ publicæ instituuntur. Plebs, uti rerum novarum studiô tenetur, talium imperia fastidiens, dignos non putat, qui sibi imperent, qui tàm religioso ordini displiceant.* Hæc Barlæus in epistola citata, quæ tota legi meretur. Extat inter

Ar-

Armin. p. 589. pag. 609. hæc verba legas: *Qvotqvot Confessioni Augustanæ favent Principes, Synodi vestræ (Dordracenæ) Canonibus anathema scribunt, & qvâ fide à Pareo aliisq; Theologis oblata ipsis, fuerit societatis dextra, jam didicerunt, nempe, ut in societatem admissi aut contrà, qvàm sentiunt, credant, aut muniis publicis tùm sacris, tùm profanis, Remonstrantium exemplo, decedant.* Rectè sanè hæc observas Barlæe, Hoc ipsum est, qvod nos movet, turbat ac terret, qvod cautiores & ab insidiosa pace alieniores reddit. Sic enim colligimus: Si Calvinistæ noluerunt tolerare Arminianos, dissidentes à se tantùm in V. articulis, ac præterea pollicentes se omnia revocaturos ad sententiā Melanchthonis, neq; limites istos unqvam egressuros; Si autores fuerunt supremis potestatibus, ut propter meram dissensionem in iis articulis, in qvibus tolerantiam antea Lutheranis non semel obtulerant, Remonstrantes non modò Ecclesiis suis extruderentur, verum etiam tanqvam *καθάρματα* atq; *βδελύγματα* patria sua proscriberentur, in ergastulo nebulonum compingerentur, æternis carceribus manciparentur, & cum familiis liberisq; aut fame inediaq; necarentur, aut prodigiosô silentii promisso conscientiam & bonā mentem ejurare, cogerentur, *uti conqveruntur Remonstrantes c. XXV. Apol. p. 302.* multò min9 nos, in plurib9 articulis ab ipsis vehementer dissentientes, tolerabunt, ac benignè tractabunt rerum potiti, vel pacificè inter nos vivent, in civitatem recepti, & nobiscum conjuncti. Hugo Grotius in exam. animadversionum Riveti pro suis notis ad consultat. Cassandri tit. de hæreticorum pœnis, ait, *Calvini discipulos, ubicunq; invaluere, omnia turbare imperia.* Rivetus, qui aliàs minutissimas objectiones sui adversarii operosè diluit, vi veritatis pressus frigidissimè hîc respondet: *Nihil durius dici potuit. Condonet ipsi DEus. Possem, nisi ab ira temperarem, aliud ei, & iis qvibus favet, regerere.* Scilicet adeò perfunctoria responsione transmittendum erat gravissimum *ἔγκλημα*. Sed aliter facere non potuit, nisi & veritati & suæ conscientiæ vim inferre vellet Rivetus. Idem Grotius in prolegomenis voti pro pace qvædam habet *ἀξιομνημόνευτα*, hic legi digna. Dicit: *Hoc præcipuum fuit qvod Joanni Duræo concordiam inter Protestantes bono animô molienti, respondere & Argentoratenses & Svedi: se in Synodo*

Dordrechtana non minus damnatos, quàm qvi cum Arminio ſenſiſſent. Qvi ſe plus cœteris Reformatos ducunt, antehac, ſi qva illis objicerentur e Calvino, Beza & aliis, ſolitos dicere, privatas eſſe Magiſtrorum ſententias; nunc omnes, qvi ejus eſſent partis, publica voce Synodi ſuæ teneri: nullum eſſe effugium: neminem eſſe qvi non teneatur horribilia iſta, (ut Calvinus ipſe loqvitur) decreta defendere. Neq; ſe credere alio animo benignæ fraternitatis verba uſurpari à Calvini diſcipulis, qvàm ut qvocunq; modo irrepant, ubi ſatis invaluerint, ejecturi alios, ſicut ex Batavis eos, de qvibus jam diximus: Lutheri autem diſcipulos ex Palatinis terris bis ejecêre. Qvid ad hæc Rivetus? Tergiverſatur & neſcio qvod qværit κρησφύγετον. vid. ipſius Apologeticum pro vera pace Eccleſiaſtica, ſive reſponſ. ad Votum Grotii Tom. III. Oper. fol. 1064. ſeq. Interim quæ l. c. Grotius habet, noſtram ſententiam egregiè confirmant, ſcil. inſidioſam à Calviniſtis nobis offerri pacem, adeoq; non eſſe ineundum cum illis Syncretiſmum conjunctum cum tolerantia, vel receptione eorum in civitatem, niſi velimus ab admiſsis hoſpitibus durisſimas àccipere leges, noſtramq; turbari ac ſubverti Rempubl.

§. 6. Adde qvod ejusmodi Syncretiſtica conſociatio ſolida non ſit, nec ætatem ferat. Ut boves inſtante lupo coeunt, capita & cornua jungunt, poſt cornibus ſe iterum petunt: ita qvi Syncretiſmo coaluere animi, periculo exempti, ad ingenium remigrãt. Manebit, verba ſunt Dn. Danhaueri in Sigal. p. 160. priſtinum ſectarum ingenium, ad deſvetudinem difficile: manebit cicatrix. Etenim auctore Plutarcho in Moral. amicitiæ poſt convitia mutua & famæ lacerationes aut non coëunt, aut cicatroſæ coëunt. Manebit aliqvod diſcrimen, & electio, manentibus adhuc controverſiis. Erunt adhuc conciones publicæ, ubi non ſemper ſibi temperare poterit, qvin in elenchum excurrat, etiam manſvetudine ovis. Magis periculum rei Chriſtianæ imminebit à charitate infida, quàm bello penigero. Gliſcet ignis ſub cinere doloſo: erunt qvi ventum aſſecuti propitium, excitabunt latentem; erunt qui annales Eccleſiæ luſtrabunt, qvi in ſuperiora Eccleſiæ certamina incident, qvi Zelotas pro veritate laudabunt, eorum pro fidei puritate, exilia, martyria penſitabunt, mirabuntur tàm levi impetu bella Domini conſidere potuiſſe; nec eſſe qvi pto

Deo

Deo diſcrimen amplius ſubeat. Erunt homines Saturnii qve- ruli, δυσχεραίνοντες, erunt aculeones, curiones, faces &c. qui ido- lo irenico noluerit genuia incurvare, victima cadet, qvi pro ovili contra hyænā vigil ſteterit, canis dicetur rabioſus, ad Garaman- tas expellendus, aut in novam Zemblam relegandus, ut ibi ſilen- tium & moderationem frigore magiſtro addiſcat, ſuffecto in ex- cubias moderato, hoc eſt, muto cuſtode. Ita enim veluti ex tripode pronunciat Dieſtius qvidem Duysburgenſis in diſſertat. irenic. p. 217. *Eccleſiæ munus erit, convitiantes & rixan- tes poſt unam aut alteram admonitionem clavibus regni cœlorum liga- re, tandemq; contumaces à ſacris arcere, nec ullos Eccleſiæ præficere Doctores, niſi viros pacificos, rixarum & convitiorum oſores, quiq; diſ- ſentientes à ſe Evangelicos ob diſſenſum non fundamentalem non exe- crentur, & perſeqvantur, ſed fratres agnoſcant. e g. ſi Calixtini, & his animi lenitate & modeſtiâ ſimiles, rigidioribus VVittebergenſibus, eo- rumq; ſimilibus, qui qvaſi βοανεργὲς videri volunt, præponantur. Ma- giſtratus item Politici hic munus erit, eosdem turbones, pacisq; Eccle- ſiaſticæ adverſarios, ante à ſe ſancita refractariis mulcta ſeuerè coer- cere, eamq; creſcentibus delictis augere, eosdem ab omnibus muniis publicis arcere, quin & ſubjectorum ſuorum liberis, ſtudiis operam da- turis, turbonum atq; duriſſimorum illorum hominum inſtitutioni ſe committere ſub pœna denegandæ omnis ad Politica vel Eccleſiaſtica munia promotionis ſeriò interdicant.*

§. 7. Cum itaque ejuſmodi infida & Syncretiſtica concordia Rempubl. non patiatur eſſe tranquillam, dixi Syncre- tiſmum cum Calviniſtis etiam malum eſſe Politicè. Ex hoc in- quam capite malum dico Syncretiſmum Politicè, non quaſi o- mnis cum Calviniſtis ſocietas & conjunctio Politica mala ſit atq; illicita, aut quaſi eis pacem civilem & tranquillitatem politicam invideam, omniaq; humanitatis & amicitiæ officia deneganda cenſeam, aut quaſi hôc ipſô ſubditorum ſub Magiſtratu Calvinia- no viventium animis faces ſeditionis ſubdere, aut turbas & tu- multus inter illos ciere velim, aut diſſuere inita cum Principibus Reformatis à noſtris pacta & conventiones. Abſit. Nam hoc adeò non intendimus, ut potius Principes noſtrates, ex Theolo- gorum noſtrorum conſilio, cum Magiſtratibus Reformatis non

tantum pacificè vivant, verùm etiam confraternitatem Politicam inierint, spectantem eventualem successionem in eorum provincias; imò quantum in ipsis fuit, annisi sunt ut pace civili ac politicâ constanter fruerentur Reformati. Quin & fœdera politica cum Calvinianis, certis circumscripta limitibus, scil. ad patriæ duntaxat defensionem, communisque periculi evitationem, minimè vero ad Religionis utriusque tuitionem & propagationem, contrahi posse, nostrates Theologi concedunt. Vid. Hutteri tractatum de fœderibus. D. Johannis Tarnovii disput. de quæstione: Num, & quæ fœdera cum diversæ Religionis hominibus, & præcipuè à Lutheranis cum Calvinianis salvâ miri possint conscientia?

§. 8. Notanter autem dixi, cum Calvinistis QVA TALIBUS, Syncretismum esse malum. Nam si desinant esse tales Theologicè, hoc est, si nuncium remittant impiis ac perniciosis, quæ fovent, dogmatibus, quibus & Deo honorem suum detrahunt, & hominibus excutiunt eam, quæ hac in vita viventibus necessaria est, solicitudinem, si sincerè nobiscum amplectantur Augustanam Confessionem, & sacratissimum Concordiæ librum, tùm proruemus in mutuos amplexus, tùm dicemus eis Ave, quoniam Deus non amplius dicit Cave. Si desinant esse tales Politicè, hoc est, si exuant genium & ingenium sanguinolentum, Calvinisticum, turbulentum, Contra-Remonstranticum, Puritanum, cujus hoc esse proprium Rex Jacobus olim conquestus est in sua monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges, Principes: *Ego*, inquit, *à Puritanis non solùm à nativitate continuò vexatus fui, verùm etiam in utero ipso matris propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem.* (Rivetus in Jesuita vapulante c. XIII. Tom. III. oper. f. 540. excipit hanc dicam potissimum scriptam Anabaptistis, sed eventus docuit, quos sub nomine Puritanorum cavendos designârit Serenissimus Rex) tum facilius nobis & illis convenire poterit.

§. 9. Uti Syncretismus cum Calvinistis Theologicè & Politicè malus est, sic etiam cum Papistis, quà talibus, propter easdem rationes omninò malus est. Nam Papistæ sunt idololatræ & hæretici Theologicè considerati, dum sanctos invocandos

sciscunt

cifſcunt, opera meritoria ſalutis ſtatuunt, ſacratiſſimam Domini cœnam mutilant & plures alios gravisſimos errores fovent ac pertinaciter defendunt. Iidem ſunt irreconciliabiles Politicè conſiderati, quoniam à ſe diſſentientes non ἐλέγχοις, ex ſcriptura petitis, convincunt, ſed premunt validisſimis illis argumentis Hiſpanicis, quorum præmiſſæ ex inquiſitione & tortura conſtant, & mors neceſſariò ingreditur concluſionem. Quamvis jam incipiant adverſū nos ratiocinari vel in Barbara, id eſt, noſtros ineſcare ſub ſpe ſplendidi matrimonii, rerum ſcil. mundanarum, dignitatis, favoris, & divitiarum ex Matth. IV. *Hæc omnia tibi dabo, ſi me adoraveris.* Vid. Gibbon. de Burgo diſp. IV. quæſt. ult. §. 15. vel in Celarent, errores ſuos occultando, vel etiam extenuando, quod fecit Maſenius in meditata concordia, & Gothofredus Adolphus Voluſius in aurora pacis Religioſæ. Sed quoniam, quod ego quidem ſciam, nemo ſit, qui ſuadeat ineundum cum Papiſtis Syncretiſmum, nolo jam ex profeſſo hac de re agere, ſatis habens oſtendiſſe Syncretiſmum cum Calviniſtis ſanciri nec poſſe, nec debere. Quod dum dico, non me profiteor Concordiæ & paci infeſtum, ſed veritati lito, interim verò cum Riveto lubens & ex animo hæc Hieronymi verba uſurpo: *volumus & nos pacem, ſed pacem Chriſti, pacem veram, pacem ſine inimicitiis, pacem in qua non ſit bellum involutum, pacem quæ non ut adverſarios ſubjiciat, ſed ut amicos jungat.* Alioqui cum Nazianzeno cenſeo, *melius eſſe diſſidium pietatis causâ ortum, vitioſâ concordiâ.* Vid. Præfat. Riveti animadverſ. in annot. Grotii ad Conſult. Caſſandri Tom. III. fol. 925.

Votum Chriſti, votum noſtrum:

Pater ſanctifica eos in veritate: Sermo tuus veritas eſt; Joh. XVII, 17.

Bellum

BEllum auspicari ab arce quatiendâ, cui
Præcipua fulcra roboris debet sui
Truculentus hostis, nemini in mentem venit,
Nisi fortis æquè ac militandi sit sciens.
Nec facile talem prosperorum eventuum
Fortuna datrix deserit. Sic Fulvio* Flor. 1.II.c.9.
Ambracia capta, gentis Ætolæ caput,
Mox universam dedidit provinciam.
Hâc arte, FRANCI, video te vulpeculas,
Quæ pacis oleam fronte gestantes, Dei
Vineta vastant, aggredi. Concordiæ
Primum dolosæ subruis mendacium.
Insiste! certam spondeo victoriam.

M. Jac. Thomasius,
P.L.C. Eloq.P.P.



00564726I


CENTRO DI RESTAURO
LIBRI ANTICHI
C.P.R.C.A.
VOLTERRA (PI)
Tel. 0588 86200